



Sc 11. Xbris 1683


NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
MS
49 B
19
ROMA


VINCENTII LITTARAE DOCTORIS THEOLOGI


De Rebus Netinis Liber.

IN QVO VRBIS, AGRIQVE descriptio, Netinorum Origo, res militiæ, togæve præclarè gestæ, habita à Regibus priuilegia, illustrium virorum monumenta, & quicquid historia dignum legi potuit, luculentè, perinde ac breuiter traditur.

Additæ sunt Netinorum Consuetudines, iam olim sub Petro Secundo literis traditæ,

Adiecimus etiam Beati Conradi Placentini historiam ab eodem authore compendio perstrictam.





PANORMI, MDXCIII.

ex libris d. Ant. Mangitro


VINCENTII LITTARAE DOCTORIS THEOLOGI

De Rebus Netinis Liber.

IN QVO VRBIS, AGRIQVE descriptio, Netinorum Origo, res militiae togaeque praeclare gestae, habita à Regibus priuilegia, illustrium virorum monimenta, & quicquid historia dignum legi potuit, luculentè perindè ac breuiter traditur.

Additae sunt Netinorum Consuetudines, iam olim sub Petro Secundo literis traditae.

Adiecimus etiam Beati Conradi Placentini historiam ab eodem authore compendio perstrictam.



PANORMI, M.D.XCIII.

FRANCISCI IOANTHOMASII
CARMEN.

NOn atauis natura parens fæcunda vetustis,
Et sterilis nobis sæua nouerca fuit:
Cùm Sophiæ culmen Littaram, dogmatis almi,
Pierium vatem secula nostra ferant,
Illustres proauos, vrbis primordia Neti,
Qui genus, & seriem, qui monumenta refert,
Littora, pyramides, turres, delubra, colossos,
Flumina, prata, lacus, mœnia, castra, situm.
Si Arpinũ, si Smyrna, Samos, si Mantua, Athenæ,
Non defraudantur munere quæque suo:
Ingeniosa suis Netus lætatur alumnis,
Fertilitate loci, nobilitate virum.


PETRI BOREÆ NETINI
Distichon.

COdice in hoc Neti robur, decus, arua, vetustas,
Aedes, iura, situs, nobilitasq; vigent.

DO. PETRI MILANENSIS
Panormitani Epigramma.

QVãtùm cognitio Historiæ, monumẽta priorũ
Proficiat, cunctis notius esse reor.
Nam paucis collecta patent tot gesta virorum,
Quæ perpes nostra ad tempora fama tulit.

Historicis multùm debent populique, locique,
Per quos sub memori nomine clara vigent.
Nec minus vrbs Netum Littaræ debet alumno,
Tempora qui claudit codice longa breui:
Vrbis natales, heroum illustria facta
Tradidit, & Ciues patria iura docet.
Viue igitur felix, Netum, lætare vel vno
Ciue, memor facti fac tibi prosit opus.



VINCENTIVS LITTARA

SPECTABILIBVS VIRIS,

BALTHASSARI CAPPELLO DOMINO BONFALLVRAE, IOANNI LANDOLINAE, ET GOTTERRAE DATO Patriæ patribus benemerentiſſimis.

S. P. D.



VAM meritò (clariſſimi viri) iuſtiſſimus quiſq; pro patria tuenda æquè, ac exornanda laboret, & vetuſtiſſima ipſius naturæ lege, & officioſiſſimi

cuiusque consuetudine cognosci-
mus. Nanque si parentibus debe-
mus, & parem illis gratiam referre
non possumus, non ineuidenter, nec
absurdè idem de patria concludi-
mus; quæ generationis principium
est, quemadmodum, & pater. Pa-
triæ (licèt plærunque ingratæ) ho-
minem debere, cùm prophanæ,
tum sacræ literæ testantur. pro pa-
tria plurimos, & animi præstantia,
& generis antiquitate celebres gra-
uissimis se periculis exposuisse, imò
alacriter horrendo mortis genere,
& sanguinem, & vitam effudisse,
nulla est historia vel latina, vel græ-
ca, vel Barbara, quæ non memoret:
Nolo in alienis exemplis, quæ nulli
sunt ignota, adducendis immorari:
habemus in hac nostra vrbe, quæ
& nos afferamus, & quę posteri quo

que

que eum summa vestræ laudis acclamatione meminerint. Siquidem inter sæuissima seditionum, & bellorum discrimina; inter asperrima indomiti Martis, & insanæ Erinnyos tempora, Netum vrbem Cappelli, & Landolinæ tutati sunt; exornarunt autem mitiori tempestate, sedatis penè furoribus, inter cæteros Dati, non minus opibus, quàm ingenuis artibus præpotentes. Iam à Manfredi Regis imperio legimus Ioannem Cappellum (à quo, mi Balthassar, perducta per tot secula nobilitatis successione, paternum te genus ducere, etsi materno sanguine, eodemque ex præclarissima Cappellorum familia, fœudatarium, consentaneum est credere) in legitimorum Regum fide, obœdientia, & pietate Netum patriam

pro viribus confirmasse. Vnde etsi impotentissimo Gallorum domina tu, expulsus, animum tamen, & virtutem cælo non mutauit: ad Petri, Iacobi, & Friderici Regum obseruationem, & stabiles animos firmauit, & aliquando vacillantes reduxit: vt non immeritò & opes vi interceptas recuperauerit, & pristinæ dignitati fuerit restitutus. Quid verò de te? Quid de maioribus tuis dicam nobilissime Ioannes? quibus ego verbis illustria tuorum gesta re censeam? non modò fortissimis illorum studijs hanc vnam ciuitatem Netum, sed & totam Siciliam à seditiosorum hominum inuasione cō perio fuisse liberatam. eos nanque à Nortmannia profectos, & sub inuicti Rogerij ductu, per quem sub Christiana Religione Trinacria per

ſeuerat, à Barbarorum ſordibus inſulam expurgaſſe, vetuſta ipſius Comitis diplomata, & veterum traditio teſtatur. A Friderici verò ſecundi hoc nomine Siciliæ Regis temporibus, à quo ditiſſima fœuda, dignam militaris fidei mercedem, ſunt conſecuti, peculiari iſtorum incolatus munere, & generoſæ ſtirpis natalibus hanc vrbem legimus illuſtratam. Hinc Ioannes ille Landolina, qui pro Ludouico, & Friderico tertio ne noctu quidem arma depoſuit, tantumq; eis militari præſidio profuit, quantum à fideliſſimo, & conſtantiſſimo Duce inter varia incertæ fortunæ Ludibria ſuis principibus valuerit præſtari. Taceo Mutium, Rinaldum, Rogerium, Ioannem alterum, Antonium, alioſq; Landolinas, quos tum integræ Regum literę

com-

commendarũt; tum Siculi annales memoriæ prodiderant. Hos enim Regum Consiliarios, Duces, oratores, à secretis, togæ, & militiæ clarissimos, summisq; heroibus commendatissimos, ex Sicanicis historiis, & vetustis ciuitatis scripturis, priuatisque etiam monumentis non ignoramus. Datos verò (sive vgteri vocabulo Deodatos nominemus) insignibus disciplinis, & iustissimo suorũ ciuium regimine non minori Netinis vtilitati, & honori fuisse nõ dubitamus: quantum enim ab illis armorum potentia, regalibusque studijs splendoris, & gloriæ sibi, & posteris est acquisitum, tantum ab his inclytissimarum scientiarum professione, & politicæ gubernationis officiis est comparatum. Explicat Nicolai Dati laudes Lucius Marineus

orator

orator, & historicus luculentus: æter-
na memoria dignum faciunt nobili-
tatis incrementa, partæ diuitiæ, &
plurimi proceres ab ipsis lethi fauci-
bus medica ope liberati. Explicat,
nobilissime Gotterra, Ioannis Dati
suauissimi tui aui, encomia: qui vt
erat in eloquendo lepidissimus, in
recte sentiendo prudentissimus, ita
in omnium historiarum cognitione
diligentissimus, Fazelli, studiosi re-
rum Sicularũ scriptoris Illustre præ-
conium. Prætermittam equidem ve-
stras singulorum laudes, ne cui inui-
do videar assentari: sed tamen hoc
vnum dæco silentio non patiar in-
uolui: Dum nostram hanc, qualis-
cunque est, de rebus Netinis histo-
riolam edendam iubetis, & curatis,
quid aliud plane facitis, quàm eo-
rundem laudibus, preclara in Rem-
pub.

pub. merita, & grata Regibus offi-
cia suscitando, impertiri? non mi-
noris enim est operis parta tueri,
quàm noua acquirere. Interirēt qui-
dem, quemadmodum plurima ex
hominum memoria deleta frustra
querimur, tot illustrium virorum
monumenta, & plæraque alia Neti-
næ vrbis insignia, nisi diuturniori-
bus literis mandata, & perennem fa
mam adiuuarent, & à labentis tem-
poris iniuria faciliùs vindicarent.
Quamobrem plærique huius vrbis
principes rogatum me voluere, vt
aliquid de nostra patria scriberem:
quam licèt scirem à Siculis fortissi-
mo virorum genere ædificatam, à
Græcis Gymnasio, & ædificijs ex-
cultam, Romanis (vel Cicerone te-
ste) fœdere coniunctam, ab omni-
bus Christianis Siciliæ Regibus lau-


datam,

datam, plurimiſque gratiis donatã, & inter montanas Ciuitates potiſſimum locum tenere, cœli ſalubritate, ſoliquè hubertate, nemini cedere: quanti tamen laboris eſſet, vel in vno populo, veterum hiſtoriam cõtexere, non me latebat. Vicit tãdem laborem pietas; & chariſſimorum hominum voluntati morem gerens inter multiplices occupationes meas aggreſſus ſum opus, & compendio quodam cuncta perſtringẽs omnem moui lapidem, quæ vel publicis inſtrumentis, vel priuilegijs, vel hiſtoricorum monumentis, vel lapidum inſcriptionibus, vel ſaltem probata ſeniorum traditione colligere potui, non prætermiſi, dummodo aliqua memoria digna exiſtimarem. Siquid noſtros oculos effugit, annotent alij. Siquid enim in manus

nus nostras non venit, integræ pieta-
tis fructum, quem vnum, contem-
pta populari vel aura, vel inuidia, q
quærimus, nõ debuerit auferre. Om-
nia præstitit, qui pro viribus est eni-
sus. Suscipite igitur nobilissimi viri,
libellum vestro auspicio in lucẽ pro-
deuntem, & authoris animum, ope-
ram, diligentiam, pluris, quàm opus
pendentes à rauco obtrectantium la-
tratu defendite. Nec enim mihi vn-
quam vel rerum, vel verborum ca-
lumniatores defuerunt: qui licèt in-
iuria non lacessiti (quem enim ali-
quando prudenter offendi?) graui-
ter obesse conentur. Nec in hac etiã
editione defuturos præsagio: bom-
bilat liuido susurro ignauum vul-
gus, inutile fucorum genus, & vel
alienum laborem depasci, vel laudes
obscurare conatur. At nec hactenus

 horum

horum ſtrepitu à recte ſentiendo, & operando deterritus, nec deinceps quidem pro patria, & optimorum ciuium (inter quos illos non habeo) virtutibus recolendis perinde, ac tuendis opes, induſtriam, & ſanguinem (ſi res tulerit) effundere recuſabo. Vos interim valete, & cum cæteris ſanæ mentis ciuibus, de patria non malè merentibus veſtri Littaræ ſtudium æqui, boniq́ue iudicate. Panormi anno à Chriſti Natali 1593. Calendis Maij.



nonne frequenti [illegible], &
operando deserentes, nec denique
qualem pro pietas, & operibus [illegible]
[illegible] (inter quos illos non habeo)
[illegible]tibus incolendis perinde, ac ni-
[illegible] opes, [illegible], & langui-
[illegible] fures mittere, effundere recusa-
bo. Vos interim valete, & conver-
consolationi mentis [illegible], de [illegible]
non malè merentibus [illegible] Literae
studium aequi, bonique iudicate. Pa
nonae anno à Christi Natali 1592.
Calendis Maij.



NETINAE VRBIS TOPOGRAPHIA.



EAM veterem vrbem in hanc molem, in qua nunc visitur, secundoque omine durabit incolumis, Ducetium Siculorum Regem, patriaque Netinum transtulisse Diodorus Agyrensis testatur. Loci naturam præruptis, & editis vndique rupibus præcipitis, altissimisque vallibus, vnde dulcissimi fontes emanant, muniti, authori in Græcos continua bella gerenti patriæ transplantationem persuasisse credimus. Clariorem hinc maris Ionij prospectum, & faciliorem ad oras maritimas descensum assequebatur, adde, & tutiora collis propugnacula, qui nisi ab Isthmo (moles enim peninsulæ formam reddit) nulli tum fuerat peruius. Hic igitur iecit prima Netinæ Vrbis fundamenta Ducetius: vt qui Menas in edito loco struendas locauit, patriam in humili solo, & facilè obsidionibus obnoxio non pateretur. sectis, quadratisque lapidi-

 bus

bus eam præcinxit, quemadmodum vetustissima monumenta, & aliqua adhuc vestigia visuntur. ab Isthmo ad carcerem veterem, quem prope nouum olim stantem nos vidimus, protendebatur: & hinc rectà ad Orientem ad Diui Thomæ templum descendebat. proditum est memoria, vbi nũc Paschasius Gazara habitat, socerũ eius Palmenterium ædificando vetera menium ædificia eruisse. Forensia negotia in ea Vrbis parte agitabantur, quæ hodie via plana nominatur, totaque fornicata deambulatur, ingentibus saxis fulta, & super præcipitem locum fundata. Patebat illic amplissimus circus, ibi theatra constructa, ibi etiã Gymnasia Philosophorum Academiæ deseruientia: nam ad nostra vsque tempora quædam literarum græcarum fragmenta sunt reperta, quæ Fazellus accuratissimus rerum Sicularum scriptor transferenda in eius rei testimonium curauit. Ad Christianorum tempestatem, nempe ad Apostolorum conciones, & paulò vlterius locus ille fuit Vrbi præcipuus. nam vetustissimũ templum Diuo Ioanni dicatum habuit, in quo antiquæ Religionis vestigium Baptismalem fontem, sicut & succedenti seculo in Diui Theodori pueri vidimus. adaucta est subinde prosperiori fato populo fœcundior,

dior, & ad meridiem longius protensa in cordis figuram duobus collibus, quasi humeris innititur: vbi verò veteris oppidi limitem fixerant extremum; ibidem modo est vrbis meditullium, longior quidem, quàm latior, patet circuitu circiter duobus milibus, quingentis passibus, non paucioribus mille in longitudinem producta; inexpugnabili quidem situ admirabilis, sic ab Aretio Syracusano commendatur, sic à Fazello pluribus in locis describitur, sic à Leandro Bononiensi collaudatur: cuius verba vt apud eundem legi, ita excripsi: Più oltre e, il nobile Castello di Noto, fra Monti, da gl'antichi detto Netum. ilquale credo che fusse fabricato per la ruina d'Heloro, ch'era posto sopra il fiume Orino; del quale poi dirò, & cio mi fa credere la pittura di Tolomeo, & la descrittione de gl'antichi, ne meno il luogo, doue e, posto. Di cui fa mentione Silio nel quartodecimo libro, quando dice: & Netum, & Minte, pubesque liquentis Acheti. & secondo Pietro Marso vi fu mutata la lettra e, in o, onde si dice Noto. Per certo questo Castello e d'annouerare tra nobili, & ricchi Castelli non tanto di Sicilia, ma ancora d'Italia. Et però si dice, Crema in Lombardia, Prato in Toscana, Fabriano nella

Marca, Barletta in Puglia, & Noto in Sicilia: quando si vuole dire della grandezza di Castelli, che hora si retrouano. Et ben se gli conuiene il nome di Noto, cioe conosciuto. egli e, pieno di popolo, & ha il paese delletteuole, & fertile. Et sono quiui nati alquanto huomini Illustri, che gl'han dato fama. Paulò Post. Da questo nobil Castello tutta questa regione ha tratto il nome di Valle di Noto. Hæc ille: Cuius vnũ non approbamus, quòd ex Elori ruinis Netum credat extructum. nam vt Plinius est author, stabat Elorum sub Cæsare, Neti verò multò ante Cæsarem Silio, Cicerone, Diodoro testibus, extant monumenta. Ex vrbium maritimarum reliquijs, quarũ arua Netino cesserunt, creuisse, vt multorum est opinio, non imus inficias. Huic naturali Situs munimento addiderant veteres, & arces, & mœnia, quæ Paulò superius additis propugnaculis. Anno salutis 1542. fuerunt instaurata. in cuius rei memoriam in porta inferiori, quà ad mare patet descensus, à quo vix octo milibus passuum recedit, hoc distichon legitur.

Cæsare sub Carolo cernis sita mœnia. præstat
Hoc tibi Gonzagæ prouida cura Ducis.

Nostra etiam ætate mœnibus alijs, & publicis, priuatisque ædificijs feliciter accreuit:

uit:

uit: adeò vt plures 3300. laribus (vt publicis professionum tabulis constat) habitet. potest etiam maiora incrementa suscipere, si in reliqua molis parte, quæ ad Orientem, & quæ ad Austrum vergit, ædificetur.

Nobilissimas habet Diuorum ædes, & ecclesias: quarum maior, Nicolao Mirreensi Episcopo dicata in primis effulget, sed cuius author præ vetustate ignoratur, sub Alphonso, & Ferdinando Catholico Regibus Sarctis tectis, & lateribus amplificata, & ex ornata est. Sunt ibi trium Illustrium virorum sepulcra, vnum Ioannis Tamagnini Medici, & Astrologi celeberrimi quem Ioannes Aurispa, suo carmine commendauit: Alterum marmoreū, Antonij Carusij domini Inspicæ fundi in Sacello eiusdem sumptibus condito, tertium Nicolai Syracusæ è simili lapide, & idem in Sacello Nicolai liberalitate ædificato: quæ omnia præsulis iussu depressa vetus ornamentum deplorant. Sed quid memorem abiecta hominum cadauera, & derelictos araneis cineres? Continet, & pretiosum Beati Conradi tumulum, qui Netinos aureo munere donaturus iam viuens in Diui Nicolai sibi sepulturam elegit, quam superiori ætate, & peculiari ædificio, & auratis lapidibus in sublimi loco erectam no-

ſtrates honorificētiſſimè condiderunt. ibi hos verſus legimus.

Conradi ſacrum eſt, quod conſpicis, oſſaq; eodem
Hoc veneranda viri contumulata loco.
Tercentum Luſtris iam ſe cumulauerat annus
Terdenus; fuit his bis quoque iuncta ſeges.

Aedes Crucifixi Virginis Mariæ à Caſtro dicebatur olim, vnde ſub Iordano Rogerij Comiti ſfilio, qui parentis mandato Caſtrum illud molitus eſt, fundata exiſtimatur. Sacræ tamen Crucis Imagine, quam Euangeliſtæ Lucæ manibus depictam tradunt, quamque totus terrarum orbis inuocat, ſub nomine Crucifixi Netini, ob frequentem populi pietatem iam ad hæc ſecula permanentem nomen mutauit, rem tamen adhuc ſeruat. nam & vetuſta ibi Virginis Imago è ſolido marmore anno Domini 1471. opus Franciſci Lauranæ, qua decet religione colitur, & ipſa Crucifixi figura in ſuum Sacrum ex antiquiori loco, qui ſub media templi teſtudine reſidebat, eſt tranſlata: ſuper quem ſimul ac pontem miro quodam artificio ſuperba Campanarum moles extructa conſpicitur, & hoc diſticho commendatur.

Quid iuuat antiquos Aſiæ memorare coloſſos?
Quod ſtupeant Siculi, prouida Netus habet.

Adminiſtrantur in hac Eccleſia Sacra-

menta, & à multis diuinis laudibus canendis religiosè incumbitur. adoratur ibi veræ Crucis fragmentum, cognito, vt dicemus, à Dalmatio Episcopo rei experimento. Celebratur quinto Idus Maij eius solennitas; Crucifixi verò festis diebus Pentecostes, quando celebres sunt Nundinæ. Sacratum habuimus hoc templum, & dedicationis dies à Sacerdotibus recolitur: à quo verò Pontifice, & qua tempestate nondum cōperimus. Ascripti sunt etiam Sacris populo exhibendis in Michaelis Archangeli Præsbyteri, & Clerici, qui eius iurisdictione, & paræcia continentur. quod sub Ioanne Horosco, & Castellano Syracusano Episcopo, viro quidem non minus literarum peritissimo, quàm ecclesiarum, & omnium, quæ subditis gubernandis conferunt, prouidentissimo cœptum est. Ibi marmorea Michaelis imago cū paruulis signis subtilissimæ sculpturæ opus veneratur.

Sunt, & plura regularium Cœnobia: quorum antiquissimum Cisterciensi familiæ ab Isimbardo Comite, vt dicemus, an. sal. 1212. est conditum ibidem eius sepulcrum mōstratur: in quo etiam reliquiæ Beati Nicolai Netini Cisterciensis ordinis, quarum nonnullæ Thecis argenteis clauduntur, sunt honori. Vetustum est, & am-

plum Neti Diui Francisci templum, vbi nobilissimus quisque sepeliendum se man dabat. Meminit illius Fazellus, vbi sub Rege Ludouico præfectum ex secta Claramõtana ibidem sepultum tradit, quo tempore Ioannes Landolina Vrbem Regi restituit: ibidem ipse Ioannes an. sal. 1358. testatus tumulandum se iussit meminit Bartholomæus Pisanus author libri, cui nomen Diui Francisci conformitates, anno 1385. vbi de Prouincia Sicilia agitur, ponit; Cœnobium Netinum sub Prouincia Syracusana. Nobilitatũ est Fratris Ioannis Riccæ Theologi Natali, qui cõmentaria in magistrum sententiarum quæ ab Angelo citantur, edidit, & sub Rege Martino floruit, habuit sub Alphonso nobilissimos Theologos, & nostra ætate eloquentissimum perinde ac studiosissimum Iosephum Bonasiam: de quibus singulis infra suo loco dicetur. Stat adhuc integrum Nicolai Specialis marmoreum sepulcrum, qui multos annos Siciliam pro Rege gubernauit. Tradunt nonnulli Fratres minores primò locum elegisse in conuicinio, cui Porticaliũ est cognomen, sed Diui Antonij persuasu alio translatum esse templũ, nempe vbi modò fundatum colitur. Conseruatur apud hos Religiosos vna ex Christi Corona spina.

Est

Est extra mœnia ad quingentos passus Cœnobiũ Fratrũ Minorũ ab obseruantia, cuius templũ perfectũ iã est an. Dom. 1451. Perystilia verò, & claustra 1481. extat vtriusque subscriptio literis maiusculis in lapide incisa, alterius in foribus, quà in domos ex æde patet introitus, alterius autem in primo angulo, & columna perystiliorum. Habet Sicilia ex ordinis prouincijs locum vndecimum, hoc autem Cœnobium inter quinquaginta decimumseptimum. annotatum est vtrunque in Chronicis à Francisco Gonzaga tum Generali totius ordinis Ministro exinde Episcopo Cephalœditano, nunc (vt aiunt) Papiensi. & dignissimo, qui ad maiora promoueretur. Sed in curia (vt plærique Religiosi testantur) Antonini à Sancto Angelo tum Prouincialis factum est, vt plæraque memoratu digna omitterentur: imò (quod authori culpæ nonnulli falsò tribuunt) Fratris Antonij Aethiopis tertiarij vita, & mors miraculis Illustris, cuius reliquiæ in eiusdem templi Sacello quiescunt, Cameratæ tribuuntur habetur pulcherrimum Beatæ Virginis è marmore signum, iacet ibidem Frater Dominicus Laicus Melitensis, homo Religiosissimæ vitæ, & cuius multa, dum viueret, miracula, & prædictiones traduntur. Ibi,

vel nobis pueris cognitus diem clausit extremum Frater Archangelus homo vsque ad vltimam senectutem Sacrarum literarum studiosissimus, vir in disputando acerrimus, & in tota Sicilia celeberrimus com plura condidit volumina, sed ea tum confusis characteribus scripta, tum monachorum inertia non excerpta non prodiere. Iacet ibidem Ioannes Quattrus vir sub Ferdinando Catholico in Regis Aula Clarissimus, vt qui multos annos fuerit Epistolarum Magister, cuiusque in Regni Constitutionibus crebrò nomen subscriptum legatur. Suos huic Cœnobio libros legauit: adaucta est subinde Bibliotheca Archangeli, & aliorum Theologorum voluminibus, quæ inter plenissimas haberetur, nisi plurimorum cupiditate, vel potiùs sacrilegio, & cœnobitarum negligentia lectissimi quique libri fuerint asportati: quorum tamen nonnulli pontificio anathemate restituuntur. Ornatissimus est Diui Dominici Conuentus, de quo Sanctus Antoninus suis in historijs meminit, & nonum ex Siculis locum attribuit: multorum Theologorum, & Prouincialium Natale domiciliũ; in dies patrum virtutibus, Sacris Imaginibus, & excultis ædificijs accreuit. Et quamuis eius mentionem inueniam iam ab an-

no Dom. 1344. in actis Nicolai Caroberi, & multò antè constructum esse nulli sit dubium: maior tamen eius porta, opus artificiosæ structure, vt super quam Campanaria Turris, & ea non parua, sit ædificata, cõdita est authore Nicolao Marino, anno salutis 1399. altera verò, quæ nunc est clausa, quam maiorem veteres appellant 1395. patet ex super liminarium super inscriptionibus. Ibi Rinaldus Sortinus, qui Messanensium fuit Strategus tumulatus iacet: ibi stat adhuc marmoreum sepulcrum, politissimè, exculptum: vbi hoc epithaphium legitur, D. Opt. M. Beatrix à septimo, atque Landolina Priorum Principum liberalitate, optimis parentibus suis in equestrem ordinem titulumque Cammaratini, ac Miselini succedens, Ioannellæ dulcissimæ filiæ heu superstes Mater sibique, ac posteritati. Vixit filia an. xxiiij. mens. vnum, dies xvj. eodem ferè die cum quatrienne filio rapta hic humantur. M. D. xxiiij. Continet insignes Diui Blasij, & aliorum Sanctorum reliquias. Sunt, & in Vrbe Eremitæ sub Diui Augustini regula militantes: quo tamẽ tempore Ecclesiam hanc inceperint, nondum exploratum habeo: illud nostra ætate vidimus, inferiorem locum destituisse, & paulò superiùs in collis vertice, vbi antiquitus

cuitus Diui Mauri, & mox Beatæ Virginis ab Antro ædes extitere, consedisse. Sunt, & Carmelitæ intra vrbem nostra tempestate in vetustum Diui Martini templum recepti. namque an. salut. 1586. mense Iunio, translata est imago Deiparæ Virginis, à frequenti populi pietate venerata, dirutis iam vetustis ædibus, quibus à gratia extra mœnia fuerat cognomen, quanquam superiori ætate Iacobo Apostolo dicatis: Vnde sub Rege Martino nundinarum celebritate colebantur. Demum anno Christi 1553. Regulares, qui vulgò Capuccini nuncupātur, apud Netinos sedem sibi elegerunt in Mariæ à pietate, authore Fratre Ludouico Netino Ministro Prouinciali: cœli tamē grauitate, & noxijs subiacentis amnis vaporibus mutatis domicilijs eò loci sunt recepti, vbi Manfredi Alagonæ Castrum inhabitatum squallebat qui fuit annus à Virginis partu 1584. in ostij super liminari hoc Petri Boreæ carmen omnium temporum compendium exhibens est incisum.

Hactenus extiterat castrum, mox antra malorum.
Cænobium fratrum nunc domus ara Dei.
Ille Comes Motycæ sceptri grauitate retenta
Hoc statuit superis, vrbs tamen auxit opus.

Monialium Monasteria sunt multa, quorum nobilitate, vetustate, ac opibus cęteris

præstat

præstat Sacratissimi Seruatoris quod olim erat sub vocabulum Sanctæ Catharinæ, in eius claustris, & ædibus situm: loci verò angustijs, & Dominicanorum Regularũ propinquitate translatum est, in ædiculam Seruatoris: Vnde nunc cognomen habet; fundato tamen sub eodem titulo ampliori templo, adiuuante in primis violanta Caramanna, translatio fuit circiter annos Domini 1450. consecratum est ab Antonio Fanetto Archiepiscopo Nicosiensi 1464. 18. Cal. Martij erat adhuc Sãctimonialibus præfecta soror Antonia Specialis, quæ multò superioribus annis rexerat iam inde à Diuæ Catharinæ sedibus. Eius enim nomen in Basi Imaginis Diui Benedicti legitur inscriptum, an. Do. 1443: quin ad annos 1470 eandem præpositam lego. anno salu. 1584. peractum est maximum illud cubiculum, quod dormitorium nouum vocant, præfecta sorore Archangela Ioãpicciula. Secundum à Seruatoris est Monasterium Diuæ Claræ, cuius tamen authorem exploratum non habeo. A Ferdinando Catholico, dum adhuc fabricę indigeret, adiutum est, & certa pensione annua donatum. fuit eius templum consecratum à Iacobo Humana, ciue Netino, Episcopo Scuterensi decimo Cal. Martij, hoc procurante Antonio Caru-

ſio domino oppidi Inſpicæ fundi, & Albiræ Patre tunc eidem Monaſterio præfectæ. ſub eadem completum eſt nouum dormitorium; quod duobus angulis ab exteriori pinna protenſum ſub altero hoc Sigiſmundi Cappelli diſtichon habet.

Albira æternis poſt ſtructa palatia Diuis.
Hæc quoq; Virginibus tecta, domoſque dedit.
In altero verò.
Albira antiſtes largo caruſia ſumptu
Hoc pia, quod ſpectas nobile ſtruxit opus.

Rexit eius moniales cum maxima Sanctitatis admiratione Soror Thomaſia Cappella æquè virtutibus, ac ſanguine nobilis, cuius cadauer adhuc integrum perdurat, Iam ab an. ſal. 1433. in actis Iacobi Cannarellæ eius mentionē inuenio veneratur pulcherrima B.V. marmorea imago. Tertium Monaſterium ſub vocabulo Annuntiatellæ, vulgò Abbatia noua, quod Patrum noſtrorum memoria ędificaretur, appellatur, opibus Ioannis, & Bernardi Vrſorum Fratrum extructum Ioannes enim teſtatus iuſſit ædes ſuas in Monaſterium ſub Sancti Benedicti ordine, & Beatæ Virginis ab Annūtiatione titulo erigendas mandauitque (ſi per præſulem liceret) vt Brigida Caietana, aut Conſtantia Alagonia eidem Sanctimonialium Cœnobio præficeretur, quod cùm

vtraque

vtraque recusaret: electa est Beatrix Bernardi Vrsi Filia, quamuis legitimo matrimonio non suscepta, quæ inter Diuæ Claræ Monachas, quamuis tertium lustrum non excesserit, professionem emiserat, & mutato de more nomine Soror Victoria appellata, Coram Albira Carusia eisdem præposita tertio nonas Iulij, an. Dom. 1518. Leo autem Decimus indulsit, non obstante Natalium defectu. Victoriam ipsam in Abbatissam (liceat his nomiuibus vti) eligi posse. Datum est diploma Romæ, an sal. 1519. 6. Cal. Decem. vidimus eius professionem plumbeo sigillo munitam. Mortua verò est quinto Cal. Ianu. 1589. cuius tumulum Franciscus Ioanthomasius hoc epitaphio exornauit.

Bis septem Vrsa regens soror hic Victoria lustris
Prima monasteri præsul, & author adest.

Quartum Sãctimonialium Cœnobium à Monte Virginum cognomen assumpsit, nec immeritò. Vigent enim ibi honestissimæ omnium, & diuinæ legis obœdientissimæ Virgines, quæ à Diui Benedicti institutis, & Bernardi cultu ne latum quidem vnguem discedentes in contemplationis Mõtem Celeri gradu feruntur, & euidẽtis charitatis vinculo connexæ omnia habent cõmunia, cælestemque Montem felicissimo

progreſſu conſcendunt. Aleonoræ Zarbaris opibus eſt extructum: quæ Petro Caietano Tripis, & Xuthini oppidorum domino nupta, abſq; liberis decedens Xuthini pridie Idus Febr. 7. Indit. 1567. teſtata legauit, vt ex Aedibus ſuis, quas olim Neti habitarat, in quibus, & nata eſt, Monialium Monaſterium ædificaretur ſub Montis Virginũ appellatione: eidemq; centenas auri vncias ſingulis annis ex eo prouẽtu, quem Menei exigebat, aſſignauit cœptum eſt ſub Ioanne ab Arze Epiſcopo Syracuſano 6. idus Maij an. ſal. 1570. habitari fuit prima eius Præſul Soror Seraphina Caietana Syracuſana noſtrates autem virgines 9. Iunij illuc ingredi cœperunt: ſed à maligno quodam ſpiritu agitatæ, qui nocturnis, diurniſque laruis erat horrori, coactę ſunt mutare ſedes, & in locum, vbi nunc habitat, quinto nonas Iulij an. ſal. 1585. altero Ioanne Horoſco Antiſtite permittente demigrarunt. Anno autem Domini peractum eſt Monaſterium cõuerſarum, quas Repentitas vulgò nuncupant, opus collectis ciuium eleemoſynis fabricatum, & breui Ioannis Maccæ Sacerdotis nulli probitate, & pietate ſecundi, qui iuueniles, ſeniléſq; annos in piorum operũ ſtudijs exegit, ad apicem perductum. Illuſtriſſimi noſtri Præſulis Ioannis Caſtellani, cu-

ius

ius in extruendis, regulariq; diſciplina inſti tuendis Monaſterijs opera vigilantiſſima conſpicitur, permiſſu ingreſſæ ſunt primò moniales, tertio Calendas Decemb. anno prædicto. Conditum eſt iam Monaſterium Sanctæ Mariæ ab Angelis, & ædificio planè exactum: ſed à virginibus nondum habitatur. Sunt etiam plurimæ minoris nominis ædes intra Vrbē, & extra mœnia, quas tacendas arbitror: illa tamen vna nō prætermiſſa, Heliæ inquam, quæ ſuperba, & vetuſta mole, quāuis exiguo ſub loco nulli in Sicilia cedit. immanibus enim. eiſdemq; quadratis ſaxis fundata eſt, fama eſt à primis inſulæ huius colonis, vt illinc Pachyni littora proſpicerent, ſuperimpoſitis ſine cæmento ſaxis ædificatam. ea modò ſub Heliæ Prophetæ auſpicio colitur. quamobrem noſtrum in lapide inciſum hoc diſtichon legitur.

Quæ fuerat quondam moles operoſa gigantum,
Cœptus in hac viuens Helias ædecoli.

Habet arcem ab Iſthmo munitiſſimam, quæ à Iordano Rogerij Comitis filio cum Diui Georgij æde conſtructa eſt. in eademque Dux Petrus turrim maiorem erexit, de qua ſuo loco, a Manfredo etiam Alagona altera arx ab inferiori Vrbis parte fundata eſt, in quam noſtra ætate Capuccini ſunt Arx

recepti. Vrbis ſtemmata ſunt crux candida in purpureo campo. Ager Netinus patet circuitu circiter paſſuum milibus 70. triginta quidem mari ambiuntur tum Ionio, tū ſupra Pachynum Lybico, cætera autem montanorum oppidorum limitibus clauduntur. Sunt in Netino octoginta fœuda, quorū ſexdecim ſunt reipublicæ, quatuor Regiæ Abbatiæ ab arcu, cætera verò aliorum dominorum. Sunt & plures turres, quarum vna eſt Reip. ad Pachyni fauces ſita illius cuſtodię fabricata. à Draguto Magni nominis Pyrata diruta fuit an. ſal. 1562. ſed longè firmior à S. P. Q. N. intra tres annos erecta. Altera identidem Regia eſt ad portum Puniceum in ſinu Macharenſi pp emporij emolumēta, ſub Duce Petro 1346. incepta, Philippi demum Regis mandato perfecta an. ſal. 1584 tertia eſt Stampace ſub Rege Ludouico à Blaſco Alagona fundata 1353. Sunt totidem vetuſtiſſimæ Pyramides vna montana propè turrim ab hedera, vbi Neam veterem ſtetiſſe tradūt: altera propè oſtium Aſſinari fluminis à Syracuſanis condita, vt ſcribit Plutarchus propter victoriam in Athenienſes habitam: tertia ad Elori amnis ripam, victoriæ argumentum, quā do Hippocrates rex Gelenſium Siracuſanos fregit, annis ante Chriſtum natum circiter 640.

640. Hæc autem in Saculino feudo olim ſita ruinam fecit.

Et quoniam hic ager innumeris, eiſdemque dulciſſimis fontibus irrigatus, clariſſimis, fœcundiſque amnibus interſectus, omnigenis, gratiſſimiſque arboribus copioſus, ſolo ferax, cœlo ſaluber, auicularum concentu ſuauis, mellifluis apibus celeberrimus, pecudum diues, cæteriſque humano victui, & veſtitui neceſſarijs abundans plene à Fazello deſcribitur: ne cui inuido videar mentiri, patrieq; blandiùs æquo adulari, nevè ſua laude diligentiſſimum hominē fraudemus, illius verba placuit in medium afferre. Cacyparis (ait) fluuij oſtium ſequitur Thucydidi lib. 7. quem Haſibilem Sarracenicè hac tempeſtate vocant. paulò poſt (ſequentia enim ad Netinum pertinent) Oritur Cacyparis fluuius non longè à Palatiolo oppido ex fonte, cui hodie Bauli eſt nomē: vnde delapſus augetur ex fontibus Anillù, Arcu, Baiduni, & Bellæ, auctuſque Manghiſi nomen ſuſcipit, vallemque deinde ingentem (quam hodie cauam grādem vernaculè vocant) proſcindens ex pluribus etiam fontibus, qui in ea iucundo aſpectu ſcatent, quorum complures hodie terra ab ſorbentur, ſed olim per aquæ ductus, quorum veſtigia clara viſuntur, in eundem Sy-

racusanum deducebantur agrum, incremẽta suscipit: atque percurrens Hasibilim arcem inter angustias rupium dextera sui parte alluit. paulò post. Proximum deinde est Assinari flu. ostium Thucyd. libr. 7. & Plutarcho in Nicia, Falconara hodie, sed intus Noti appellati, Syracusanorum mira contra Athenienses victoria insignis, Thucydidi, Diodoro, & Plutarcho. Ortum habet ad latus occidentale Vrbis Neti in Valle, quæ vrbem munit, ex fonte magno, cui vernaculè fontana grandis, hodie est nomẽ, vnde adeò affluenter erumpit, vt continuò fluuium gignat, qui ad voluendas molarum rotas satis impetus ferat. Ad paucos deinde passus incrementa suscipit, è fonte Guadarrumo: vbi & Notensium Coriariorum sunt officinæ: & ad quingentos postea passus augetur ex Ginuardo fonte, nec adeò inde procul aquas fontis Nucifori recipit. Tot itaq; fontibus abundans plurimas habet frumentarias molas, trottasque etiam præbe[illegible] & anguillas sapidissimas, atque a[illegible] hortis, & domesticar[illegible] borum fru[illegible] dat: ex[illegible] ciunt[illegible] iectis[illegible] Pos[illegible]

ucelli falli 175 ad 133.

dirutum Castellū tota ferme littoralis ora, quæ ad p. m, 4. extenditur, Lauphis hodie vulgò dicta, clamorosa est ob id, quod exesas habet speluncas, & asperas concauitates in quas Flante Euro, atque Africo frequētibus procellis delata maris tempestas refringitur, ac refracta maximum edit fragorem, & quandoque tonitrui similem. Hinc Elorum amnem non alia ratione clamosum lib. 14. appellat Silius. Vbi Lauphi clamorosæ specus desinunt; locus est m. vix p. à mari recedens, Muri vcci roccari, à domino loci vulgò vocatur: vbi ingens, sed iam prostrata vrbs, quam à theatris, quæ ibi ætate paulò superiori extabant, quorumq; adhuc fundamenta cernuntur, Coliseum, & Sanctum Philippum vulgò appellant, Valle nō nihil depre[illegible] cincta, & mille passus habens in circu[illegible]ur. Cuius tametsi mœnia iacentia [illegible]tis olim, & maximis lapidibus [illegible] rci[illegible] ædificiorumq; memora[illegible]iantur: quo tamen m[illegible]ierit, (siquidem [illegible] agro ab authori- [illegible] vel ob id fortasse [illegible]am posuit, quam- [illegible] Ciuitatem appel- [illegible]inā sequitur eius- [illegible] Plinio) incertum

mihi eſt. Nam ſi ſcriptores inſignem hanc vrbem, & non longè à mari olim ſtantem prætérijſſent, iure omnes reprahēdendi forent. Hinc Syracuſas vſq; via erat antiquitus plano lapide ſtrata, quam Elorinam appellabant, Straboni. Iuxta mare lacus eſt. Gurges Lauphi vulgò dictus: à quo non longè abeſt Pyramis orbicularis, & in acutum ſurgens, quadratis, & eis ingentibus lapidibus ſtructa cui nunc Turri pizzutæ nomen acceſſit: Lapidicinæ Elorinæ ad iactū lapidis à mari recedentes ſtatim ſequūtur: & mox Elorus Caſtellum Plinio, prorſus iacens, ad littus occurrit, tricentos in ambitu fermè paſſus olim habens. Cuius ruinæ, & ſi pro magna parte ſub terris, toto circuitu hodie viſuntur. Vbi turris eſt, cui ſta in pace vernaculum nomen obuenit, à Blaſco Alagona, Miſtrettæ olim Comite ſuis ad ad apicem circunquaq; inſignibus memorabilis an. ſal. 1353 excitata. Ad occidentem verò, & meridiē Cæſaris piſcina adhæret, multis adhuc veſtigijs clara. Gradus nanque in viua ipſa vrbis rupe exciſi, quibus Elorini ad Scaphas ſimul, & piſcinam deſcendebant; aquæductus prætereà ſolo excauati, quibus ex Eloro fluuio in piſcinam aquæ deducebantur, integri adeò adhuc ſunt, vt quàm facillime etiam nunc in eam reduci

possint. Hanc piscinam à Cæsare factā lib. 32.ca.2.his verbis Plinius testatur. Et manu vescuntur pisces in pluribus quidem Cæsaris Villis: sed quæ veteres prodiderūt in stagnis, nos in piscinis admirati in Eloro Siciliæ Castello, non procul à Syracusis. Hæc Plinius. Hinc Elorum arcem ad iactum sagittæ plano, atque arenoso itinere Elorus fluuius,& eius ostium Virgil. Ouid. Plin.& Stephano sequitur, Abisus hodie vulgò dictus, qui per p. m. ad ostium vsque adeò leni, ac placido tramite incedit, vt stagni instar vix loco moueri videatur. Hiemalibus quoque imbribus clauso ostio maris fluctibus adeò frequenter excrescit, vt agris more Nili superfundatur, stagnetq; vnde pinguescunt plurimùm. Qua ratione 3. Aen. Vir. Exupero (inquit) præpingue solùm stagnantis Elori. Hinc ad vtranque ripam tritici,lini,cannabis, ac domesticarum arborū feracissimus est. Scribit lib.8.ex Apollodoro Athenæus, & ex supra citatis Plinij verbis compræhenditur quibus, & vsus suffragatur, in hoc Eloro Fluuio Cicurum, hoc est mansuetum genus piscium,qui mugiles sunt,reperiri, qui inclamati accedere, & ex porrigentis manu capite extra aquas paulisper erecto,placidissimè cibum capere consueuerunt.Sunt,qui hunc amnem Olorum

appellent, quòd in eius ostio Olorum multitudo frequentare soleat. Enim verò ager hic Elorinus, vel hac etiam ętate, prospectu & terræ, & maris iucundissimus, ac venatu, aucupio, piscatuq; Fluuiali, ac Marino gratissimus est. Quem quoq; ob varietatē Florum, auium concentum, loci amœnitatē, & planitiem semper virentem, Eloria tempe, quòd quasi perpetuum ibi sit Ver. lib. Fastorum 4. appellat Oui. Insignis fuit hic amnis Chromij generi Gelonis, qui socerū adiuuans hic Carthaginenses fudit (vt in Nemeis Pindarus, & eius Scholia ex Timęo referunt) & Hippocratis, qui iuxta eum Syracusanos superauit, & cœpit memorabili victoria. Oritur non ex Pachyno Promontorio (vt Strabo, & plures veterum scribunt) sed inter Cerratanum, & Palatiolum oppida ad latus Orieutale Cerratani Montis ex Gallo Fonte, & augetur à Fonte Chiappi, & à Fonte Ilicis. Dilapsus deinde Atellari, nomen vsq; ad Bayhachemum Pontem suscipit, retinetq;, ac ad p. m. 8. sub arce Rendæ ex Fluuio Bilemisi, ex agro Grampolo in Valle seruorum oriundo, incrementa recipit, & excurrens in loco, cui Saccollino est nomen, ad dexteram ad iactum lapidis [illegible]amidem relinquit orbicularem vetustis[illegible]m, visuque nobilem ex quadratis lapi-

dibus

dibus erectam. Sed paulò post ad dexterã dirutum Hadedi, Sarraceni nominis oppidum, & super colle eiusdem nominis sepulcra frequentia: ad sinistram verò in loco aliquantum edito, cui Ioie est nomen, plures relinquit veteris habitationis ruinas: & defluens pontem ipsum Bayhachemum, qui eius ripas vtrinque colligat alluit: & inde neglecto priori nomine Abisus appellatus ad passus ferè mille lenissimo, ac subaquaneo cursu in mare illabitur Post fauces Elori fluuij p. ferè m. pyratarum est statio, fundus Muscarum cognominata, atque vlterius ad p. 1500. altera est statio, quam porticellum vocant: cuius littori fons proximus Buhutus, Sarracenicè dictus aquam laxandæ aluo vtilem eructat. à quo deinde ad passus quingentos lapidicinæ (perreriæ hodie dictæ) sunt, quas Macharenses fuisse, & saxa construendæ, conseruandæq; Macharæ vrbi non procul inde dissitæ vetusto tempore suppeditasse neutiquam est ambigendum. Et totidem passuum interuallo salina 2. p. m. ambitu Caudalupi cognominata distat, in qua effuso mari sal gignitur. & paulò inde longius altera salina, ampla quidem, Ruuettus appellata instat, quæ peninsulam quãdam efficit. Ad cuius ostium Phœniceus Portus est Ptolomæo, Naustathmus

Plinius. Vindicaris hodie dictus, Macharensis proculdubio olim sinus, quem eiusdem nominis insula quingentorum passuum circuitus progignit, quam illi ab Austro, Africoq; ad tutelam natura obiecit. Vbi & frumenti emporium, licèt ignobile, & Turris recentis ad eius custodiam à Petro Aragonio Alphonsi Hispaniæ, & Siciliæ Regis Germano Fratre, & Neti olim Duce structura eleganti erectæ imperfectum extat opus. Vindicari portui ad occidentem, & in ea, quam Ruuetti Salin a facit, peninsula, Machara vrbs Ciceroni in Verrem, Ptol. & lib. 3. Plinio, miris lacerata cadaueribus ad iactum fundæ imminet, & à Netinis, & Villicis eius agri accolis, & senioribus, ciuitas Macharis incorrupto adhuc eius nomine, sed vulgò Cittadella appellata. Vnde etsi neque à quo diruta sit ex græcis, latinisque, quos hactenus vidimus, authoribus cōpertum habeamus, soloque nomine à Plinio, Cicerone, Ptolomeo attracta sit: hanc ipsam tamen semirutam Macharam esse nomen ipsum, & Vrbis, & sepulchrorū, quod hucusque perseuerat incorruptum, liquidò demonstrat. Erat autem eius ambitus (prout clare ex eius vestigijs constat) p. m. & quingentorum, habitabaturque non modo ea Peninsula, sed & depressus ille, & sub

iacens

iacens locus,qui iactu lapidis à portu distat vt antiquitatis monumenta confirmant. Visuntur tota vrbe plurima ædificiorum tum priuatorum, tum etiam publicorum vestigia semidiruta passim obuia, viæque, vt latæ,ita & proportione longæ.Templum est in ea orbiculare, & testudinatum prisco ædificio ex quadratis lapidibus elaboratū, adeò adhuc integrum,vt non vetustum,sed Christianis temporibus,Seruatori, cui nūc inseruit, extructum esse videatur. Fanū irē est alterum eiusdem penè formæ, sed vetustate collapsum : balneæ quoque antiquæ architecturæ in ea, quæ ab imperitis templum fuisse censentur. In medio etiam Vrbis specus longissimæ, & pro tractus ratione latæ, vijs, & frequentibus vtrinq; sepulcris distinctæ non sine voluptate conspiciūtur, quòd subterraneæ quasi Ciuitatis speciem præseferunt. Extra mœnia verò ad passus ferè mille occidentem versus specus sunt aliæ ingentes, & eodem penè modo in rupe excauatæ, quæ ab accolis hodie, Gruttæ Macharis appellantur,tumulorum frequentia insignes, & totidem passibus ad meridiem refugiens collis depressus ab vrbe distat: ad cuius verticem alia multa Macharensium sunt sepulcra, passim terræ ex quadratis,& miris lapidibus constructa.antiqui-

tiquitates herbæ blancæ vulgò hodie dicta, quæ speciem oppidi longo tractu iacentia præ se ferunt. Ager Macharensis, qui Ciceronis tempore totus erat frumentarius, vt in Verrem ipse testatur, hodie ob id maximè, quòd Colonis ea Regio tota deserta sit vepribus plenus, & incultus, pluribusq; extra Vrbem ad dexteram veterum Vicorum ruinis horridus conspicitur. Macharam Vrbem, & eius portum, ad 4. p. m. statio Sarracenici nominis sequitur Marzamenus: vbi duæ eiusdem nominis sunt insulæ. Supra quam paruo interstitio occidentē versus iacentis oppiduli, & interiùs in agro, cui Burgio est nomen, loco præsertim quē Misitellum denominant, à littore p.m. 2. se moto complura priscæ habitationis cernū tur cadauera, à quibus ad lapidis proiectū ædes abest magnis excita lapidū molibus, columnisque, & fornicibus subnixa, Diuo Andreæ hodie dicata. Nec ab ea procul cō fusa prostrati oppidi viscera calcantur. Vbi ædicula Diuo Basilio Sacra, & deinceps tumulus est Diuo Hyppolito cognominatus: circa quem nihil integrum, sed iacens solū oppidum: cui vicinum est fanum vetustate celeberrimum, cuius tectum dumtaxat desideratur, Diuo hodie Laurentio consecratum. Sub quo ædes latet subterranea, testudinei

dinei operis columnis suffulta. huic fano vastæ, sed vsque ad fundamenta dirutæ vrbis, quæ tota nunc aratur, præclara hærent vestigia. A qua 400 ferme passus alterius magni prostrati oppidi admirandæ adsunt ruinæ: vbi & Diuo Petro nuncupatum extat tẽplũ ita totus hic ager, qui quatuor vix producitur m. latitudine, veterũ operũ monumentis partim integris, partim semirutis, partim verò in rudera contritis, pro maxima parte occupatur. Quorũ quæ digniora sunt, Diuo Laurentio, & Diuo Petro, veterum nominibus prorsus obliteratis, inscribuntur. Sed ad littus redeo: post Marzamenum farinæ pyratarum statio occurrit, & specus apud inanes opum quæstores, fossoresque per celebris, ac demum ad radices Pachyni Moriella est salina: in qua ex imbribus congregatæ aquæ æstuante sole in salem concrescunt. atque ita orientali clauso Siciliæ latere, meridionale nunc aggrediamur.

Pachynus ex tribus Siciliç promontorijs secũdum p. m. post Moriellam in sublime surgit: Vbi statim turrim habet, speculam mari prominentem. Vnde dictum longè, lateque duorum ferè miliarium spatio ad austrum in mare diffunditur, ac ibi demum paulùm depressum ad orientem percurrit.

Cuius

Cuius quidem peninſula ſexcentorum duntaxat paſſuum circuitum complexa tota petroſa, aſpera, altiſq; prærupta eſt cautibus, iſthmumque anguſtiſſimum viginti vix paſſuum habet. Quo fit, vt brumali tempore tumeſcente mari, & fluctibus vtrinq; ſeſe obuiantibus in inſulam plerunque habeat: Peloponneſum, Græciamque proſpectat, à qua paſ. m. paulò plus 400. diſtat. Nomen habuit ab aeris craſſitudine (pachys, enim craſſum ſignificat.) qua noſtra quoq; ætate eius frequenter ager tegitur. Cuius hodie nominis vix vna, aut altera retenta litera, mutato veteri prorſus nomine, Caput Paſſalum, vernaculè dicitur: ea fortaſſis ratione, quòd mare, quod hinc ad Melitam vſque inſulam centum ferè miliarium interuallo interfluit, (Cicerone 6. in Ver. teſte) periculoſum eſt. Nam cùm ex Meſſanenſi freto mare perſæpe ad Pachynum concitatiori curſu, quàm ad alia regionis huius littora peruoluatur, diſcrimini præternauigãtibus ſolet eſſe, & formidabile. Ad orientẽ nullus ei fidus eſt ſinus: ſed quà meridiem reſpicit, ad Iſthmi littus ſtationem habet, quam Cic. 7. in Verrem, Pachyni Portum, ſed vulgus hodie Longobardum nũcupat, triremium tantùm, paruorumque nauigiorum capacem: qui fauces multis reflexi-
bus

bus tortuosas,&ob id obliquū difficilemq; ingressum habet. Mare ibi Thynnis, Echinis, Conchis, & omnibus mari nantibus natura pisculentissimus est Solino: sed hodie cùm deserta sint littora, & Colonis careāt, nobis in fœcundum apparet. Portui Longobardo prostrata hæret vrbs; passus ferè mille habens in circuitu, in qua nihil ædificij cernitur, vel pulchrum vel integrum: sed iacentia solùm antiquitatis vestigia, rudia, inelegantia, & coaceruata passim proteruntur. Aedicula duntaxat non longè ab Isthmo semiruta extat, Diuo Ioanni hodie appellata, & extra vrbem ad occidentē priscorum more in rupibus incisa sepulcra remanserunt. Sita erat hęc vrbs in plano, eiusque longitudo ab Isthmo ad rupem vsque acutam, vernaculè Pizzutam hodie dictā, maris fluctibus ablutam, quæ iucundissimum in Pachynum, quem inde, quasi pictu ram, discernere est, prospectum præbet. Hanc Motyen olim fuisse Pausanias lib. 5. his verbis scribit. Paulò post (nam omnia, quæ de Motye subiungit, omittimus opinātes illa potius ad Motycam pertinere.) A Motye vrbe diruta ad p. m. 2. statio quædam occurrit, Alge, superiori ætate, sed hodie Palorum portus appellatus, paruorum nauigiorum capax, cui ad totidem p. m.

proxima eſt paruula quædam inſula à litto re 50. paſſibus recedens, Currentum inſula dicta vbi mirum quoddam aliquando cernitur, quod & alijs Siciliæ locis notaſſe me memini. ante Solis nanque exortum dimicantium hominum, & claſſium imagines in aere conſpiciuntur, quas paulò poſt illuceſcens ſol conſumit. Intus nonnihil ab ora ſemotum ſtagnum eſt à Comite Henrico cognominatum, ex pluuijs aggregatum, quod æſtate in ſal inareſcit, cui & ſalina alia Dauila nuncupata ad mille paſſus ſuccedit, quam poſt duo circiter miliaria Salina, quam mucaxerum vocant, ſubſequitur interius ab ora p. m. 2. vetuſtæ vrbis p. m. ambitus reliquiæ magnæ extant, quã quòd teſtudinatam adhuc ædiculam habet, cubã appellant. Ad oram reuertenti ad quingentos paſſus alia quoque Salina occurrit Longarina nomine, rurſumque introgreſſo ad paſſuum m. 2. locus cognomento Ramundinus, apparet, vbi diruti oppidi reliquiæ ſpectantur.

Ad littus poſt Longarinam p. 500. ſinus eſt ingens, cui Marza Sarracenicè, (quod Portum ſonat latinis) eſt nomen, Odyſſea Ptolomæo, Ediſſæ Portus Ciceroni in Verrem 7. dictus, nauium capax, à cuius ora paululum recedit eiuſdem nominis Salina.

Ad

Ad occidentale huius ſinus promontoriū, quod ad mare meridiem verſus excurrit, inſignis vrbis diſiectæ ambitus mille, & quingentorum paſſuum in præclariſſimo, iucūdiſſimoque ſitu extāt monumenta, arciſq; ad extremitatem à mari percuſſæ, ædiumq; veteris architecturæ in ſubterraneis ſimul, extantibuſq; locis veſtigia. Quibus & ſi celebrem olim fuiſſe ciuitatem ſatis argumenti proferatur, quo tamen nomine apud veteres ſteterit, affirmare quidem nihil audeo ſuſpicari verò Euboeam à Leontinis ad meridionale latus conditam Straboni, vel Callipolim fuiſſe, nihil vetat. hodie autem ab arce diruta Caſtellatium appellatur. Hæc Fazellus, quæ intra Netinos limites contineri nulli eſt ambiguum. Adijcienda quędā alia eſſent, vt de Anco amne, qui Cardinalis eſt hodie, cuius Vibius Sequeſter meminit: & de alijs fluminibus, & fontibus, quorum huberrima eſt apud Netinos copia, quibus & fœcundiſſimæ arbores irrigantur, & panni lanei, quorum maximus eſt quæſtus, nā ad centum vlnarum milia quotannis Neto aliò exportantur, balneis aſtringuntur in officinis, quæ à re ipſa paratoria nuncupātur; adijcienda querceta, & alia nemora odoriferis plantis, & ſapidis fructibus affluentiſſima, quæ alijs etiam locis impertiūtur: inter


quæ memorabilior occurrit, quoniã in tota Sicilia non est secunda, ampla quædam regio 4. ferè p. m. ambita, in qua tanta arbu torum copia nascitur, licèt hac ætate ob vineas serendas plurimæ sint stirpitus euulsæ, vt omnes huius generis plantas huc natura congregasse videretur: non omittenda esset agri fertilitas, quam Petrus Ranzanus in sua Panormitana historia his versibus commendat:

Et placuit Netum fœcundis nobile terris.
Vrbi certè claris nobilitata viris.

Describendi essent, & copiosi fontes, qui salubribus vndis ex Runede quarto iam lapide ab vrbe recedente deductę mediam vrbem interfluũt, & rigant, sed breuitatis causa cæteris omissis ad historiam ipsam enarrandam me confero. Sed hoc vnum in calce subiunxerimus, quod fortasse potiorem locum habuisset in capite: Netum à Ptolomæo in septima Europæ tabula sub longitudine gr. 38. 20. latitudine vero 37. 26. (quamuis codicum diuersitas hoc variet) collocari.

VINCENTII LITTARAE DE REBVS NETINIS.

LIBER.



E Neto Sicularum vrbium, & vetustissima, & inuictissima (vt quæ vi capta legatur nunquam) locuturis à Siculorum aduentu, à quibus cùm plures vrbes extructæ, tum insulæ nomen est inditum, libuit auspicari; quò faciliùs ingeniosissimæ nostræ patriæ originem, & ætatem possimus agnoscere. Quāuis autem in subducenda temporis ratione plurimùm inter se dissentire veteres historici reperiantur, certissimum tamen est, Netum inter primas ciuitates à Siculis constructum, & Siculorum habitaculum semper extitisse, referemus, quæ his de rebus probatæ fidei authores Græcis latinisve literis tradidere: Et quantùm nostra valebit infirmitas, quæ veritati propiora à prudentibus iudicantur, in his, quemadmodum, & in reliquis agendis, asserere nitemur. Constat quidem vnanimi omniū scriptorum consensu primos Trinacriæ incolas fuisse

se gigantes, quos, & Cyclopes, & Lestrygones, & Antropophagos nominarunt: hos subsecutos esse Sicanos, vt mitius, ita vtilius hominum genus: vt quibus excolentibus, agri Siculi fertilitas clarissima sui ipsius præstiterit experimenta: hinc Siculos, quos paucissimi Græci præcesserant, è Lyguria in orientalem insulæ regionem aduentasse, Græculis è suis domicilijs exclusis, & Sicanis ad occiduas oras horum impulsu secedentibus. Quod, vt omnes historici, ita luculentissimè Silius lib. 14. his versibus meminit.

Post dirũ Antiphatæ sceptrũ, & Cyclopeia regna,
Vomere verterunt primùm noua rura Sicani.
Pyrene misit populos, qui nomen ab amne
Ascitum patrio terræ imposuere vacanti,
Mox Lygurum pubes Siculo ductore nouauit
Possessis bello mutata vocabula regnis.

Vbi autem Siculos è Lyguria profectos legimus, nonnullis authoribus aduersatur, qui è Latio ab Opicis, vel ab originibus expulsos tradunt, quidam calumniam euitaturi vno vocabulo Italiam nominantes vtrunq; comprahendunt. At hoc tanti non est, vt diutius in eo immoremur, quanuis Philistum, & Silium sequamur. Illud vigilantiori cura indiget: quando Siculi huc appulerint. post Troianum excidium circiter tricentos annos, ante Chalcidensium, & Corynthiorum aduentum grauissimus author Thucydides lib. 6. Belli Peloponnesiaci scriptum reliquit. Quod & Diodorus lib. 6. con-

6. confirmare visus est cùm de Sicanis locutus, multis (ait) deinde seculis Siculi ab Italia in Siciliã profecti loca tenuerunt ab Sicanis relicta. Opibus deinceps, ac viribus potentes, propinquis agris occupatis, cotidie magis imperium augebant: quoad bello sæpius cum Sicanis moto, certo postmodum fœdere agrorum fines inuicem statuerent. postremò à Græcis Coloniæ in Siciliam deductæ sunt, vrbesque maritimæ conditæ: mutua postmodum consuetudine, vsuque, cùm plures in dies Græci nauigarent, & linguam Græcam omissa barbara didicere, & mutato nomine Siculi sunt appellati. Hęc ille. At Philistus anno ante Troiam dirutam octogesimo Siculos in Siciliam traiecisse tradit. Antiochus septuagesimo quinto anno ante res Troianas Siculos à Pelagis pulsos Siciliam petisse refert: cui & Dionysius Alicarnasseus astipulatur: nec Silius dissentit, vt ex ea particula, Mox Lygurum pubes, colligimus. Ad hoc facit, quod Boccatius ex Paulo refert Siculum fuisse Chorithi filium. Electreque, & Dardani fratrem, Neptunnique filium ideo dictum, quòd ex Thuscia in Siciliã transfretauit. & multa rudes homines docuit. Exploratum sanè est per Virgilium, aliosque scriptores. Dardanum Troiæ fuisse authorem hoc nominis per eiusdem posteros adeptę. Quare Siculum suorum Italorum manu accinctum longè ante Troiana bella in Sicaniam venisse patet. Parui autem refert, quòd Ducem Siculum alij Chorithi, alij Neptuni,

alij Itali, alij etiam Dędali filium dicant: vbi rerum gestarum seriem quærimus in peruetusta, & fabulosis figmentis inuoluta parentum progenie non decet immorari. Quin potius subijciamus ea, quæ Fazellus solertissima diligentia collegit. Siculi (ait) vetustissimi Italiæ populi in Siciliam traiecti Sicanos confestim armatos obuiam habent: quibus tandem domitis. & in partes meridionales, & occidentales remissis, regionem, quæ ad orientem extenditur, primò incolunt, mox optima quæque insulæ loca peruadunt, insulamque ipsam ex Sicania Siciliam vocant. Vrbes eorum Zancla in freto, Zancloto eorum Rege authore, & Orione archi tecto (vt præmeminimus) Catana præterea, Leontium, Syracusæ, Neas, Centoripe, Hybla minor supra Gelam, & plerǽque aliæ, vt Diodorus, Thucydides, Plutarchus, & Pausanias referūt. Sed cùm Siculi sæpius pro agris cum Sicanis bello decertarent, certo fædere, & quibsudam finibus, agris ab Aeoli filijs, quibus propter parentis pietatem vtrique se subiecerunt, constitutis, quieuerunt. Extincta deinde Aeoli Sobole, Siculi ad prudentiores viros magistratum detulerunt: quo euenit: vt opibus, atque imperio adeò coaluerint, vt obliterato penitus priori appellatione Siciliæ impositum nomen ratum, firmumque, ac perpetuum posteritati effecerint. Hactenus Fazellus, qui propter prima Zanclæ initia durum habet aduersarium Maurolycum. Nos alienarum vrbium cura suis ciuibus relicta,

Sicul.

licta, ad promissa nostræ patriæ exordia, & progressus accedamus. Condita itaque est à Siculis aliquãto ante bellum Troianum, (si quis aliam opinionẽ sequendam contendat, circiter 140. annos ab Ilio diruto; vt ex his, quæ Maurolycus ex Eusebio refert, exploramus) & eiusdem gentis populis ad aucta: vt primùm tricentos post annos Græci, Duce Archia, Siculos Syracusis, & alijs maritimis vrbibus expulere, & mediterraneas habitare coegerunt. Primum eius nomen, vt Diodorus est author, Neas fuit: siue id à græco, naas, quod est noua, vnde Neapolis, noua ciuitas: Neophytus, nuper conuersus: Neoptolemus, nouus miles: siue à verbo naô, quod sonat habitare, siue ab aliquo suæ gentis, vel Opico, vel Osco vocabulo, incertum. Hinc neenos ex Plinio gentile nomen refert Fazellus. Noæni, quidam Siculi populi apud eundem leguntur. Sed quos non credam ad hanc nostram vrbem pertinere. Quapropter ad Plinij mentem, cuius codices sunt adhuc deprauatissimi, quamuis Hermolaus, & alij peritissimi viri non mediocri in eorũ emendationem sint vsi diligentia, cum Camerte, vbi is loquitur de Nestinis, Netinos alibi substituendos scripsimus. Eadem nunc sententia confirmatur: quòd Noæni, siue (vt Thomas legit) Neeni, inter stipendiarios à Plinio censentur, quales sub Romanis Netini non fuere: vt Cicero in Verrem clarissimè testatur. At quos Nestinos deprauata per s, literæ adiectionem ibi legimus, latinæ conditio-

Neti exortum

nomen Neti

nis admittuntur. Latinæ verò conditionis vrbes sub duplici differentia habebantur: quædam enim liberæ, vt Panormus, Centuripe: quædam fœderatæ, vt Messana, Taurominium, & Netum, quamuis tertiam omnino taceant Fezellus, & Maurolycus. Concederem quidem Neenos à Nea denominatos, sed ita, vt inter stipendiarios à Romano authore non annumerentur. Quamuis autem Neas græcè à Diodoro dicatur, latinis tamen Neetum, vel sub eadem Diodori tempestate, qui sub Augusto floruit, cœpta est nominari: Vnde eius possessiuum apud Ciceronem est Neetini, & quandoque, vt actione 4. Neetinenses, non multò pòst duabus in vnam longam contractis, correptus est syllabarum numerus, ita vt Netum ad hæc vsque tempora diceretur, quod ex Silio lib. 14. licet inspicere, vbi habet.

Et Netum, & Mycite, pubesque liquentis Achatæ. ita legendum opinor, non Acheti, vt corruptè legebatur, qui fluuius nusquam fuit: at Achates est, quem Gelam, vel Salsum vocant, vt scribit Maurol. (licèt quidam falsò cantaram indicent) in cuius commentarijs Petrus Marsus, Netum oppidum (inquit) adhuc retinet nomen, mutata vna litera: dicitur enim Notum. Hic aduertas licet, veterem, & puriorem huius nominis Orthographiã esse Neetinos, cuiusmodi apud antiquissimum Tul. codicem pargomeno scriptum vidi. Recepit tamen consuetudo Italici authoritatem, vt etiam prosa

Netinos

Netinos scripserit: quod & ad nostra tẽpora apud eruditiores obseruatum permanet: tametsi vulgus & nonnulli ex limatioribus, qui vulgaribus auribus obsequendum duxerunt, nominis nouitatem, & loquendo, & scribendo admiserunt, Notum, & Notenses dicentes, quod et Ioannes Scoppa in Spicilegio praecepit, sunt etiam, qui Netus in recto casu vsurpent: pessimè omnium quidam per diphthõgum, vel per aspirationem malunt. Nos autem liberum suum cuique iudicium permittentes vel cũ Ptolomaeo Netum, & Cicerone Netinos, vel cum Silio Netum, & Plinio Netinos dictitamus. Sed iam relicta nominis ratione, rem ipsam prosequamur. Sita fuit haec vrbs prima sui genitura sexto lapide altiùs (vt ciues peritiores coniĳciunt) à loco, vbi nunc stat: quod è Diodori verbis colligitur qui lib. 11. de Ducetio locutus patriam è colle in planitiem, dum cum Syracusanis bellum gereret, traduxisse scribit. Ibi autem primò conditam opinãtur, vbi ad aquilonem vetustissimae turris vestigia ex praegrandibus, & eis sectis lapidibus adhuc semidiruta viatoribus occurrunt, cui proxima est Pyramis turris solida, & acuminata, cui, & faeudo adiacenti Acus, vulgò Aguglia, est nomen. Quamuis Mendulam hic ponat Maurol. quam paulò superiùs conditam scribemus.

Caeterùm relicta illa vetustiori ciuitate, & solùm ante Ducetiũ cognita, de adhuc stante, & perpetua incolumitate caelesti auspicio duratura lo-

quendum

quendum est: sed prius de Ducetio in veteri Neto genito, & noui authore verba faciamus. Ducetium Siculorum Regem Neę natū græcis Diodori Agyræi monumentis docemur. Is vndecimo suæ bibliothecæ libro (falsò quidam, secundo, referunt) sparsim eximia cum laude huius viri meminit. Nos eadem colligentes, prout ille temporibus accommodauit, sic referimus. A Posthumio Regulo, & Spurio Furio Mediolano Coss. Ducetius Rex Siculorum, vir nobilissimis Ortus natalibus, omniū eius ætatis & ditissimus, & potentissimus Menas Vrbem ædificauit, agros Coloniæ deductæ viritim distribuit: subinde in Morgantiam vrbem quidem non ignobilem (quæ nunc funditus est deleta) exercitū admouit, & post varios præliorum motus expugnauit, vnde clarissimum Imperatoris nomen, & illustrem gloriam apud suos sibi comparauit. quod euenit fermè sub Olympiade 79. anno quarto. Anno verò pōst sexto, Romæ Coss. C. Nautio Rutilio, & L. Minutio Carutiano, iussit omnes Siculorum vrbes, præter Hyblam. Certam pecuniæ summam corrogare, quæ bello gerendo satis esset. vtque erat admirabili, solertissimoque ingenio præditus, promptus ad quælibet Rege digna obeunda facinora, Syracusanoque regno non cedens plurima, & maxima negotia animo secum cogitabat: huiusmodi ex omnibus Siculis vrbibus non exiguo auri, argentique pondere comparato, potentia opes, non minus quàm potentiam opibus adauxerat. Hoc igitur au-

xilia

xilio fretus Neam patriam suam ex colle in planitiem traducendam, ædificandamque curauit. Eodē ferè anno (eá fuerat hominis copia) iusta Palicorum templum, vrbem & eam admirabilem, cui Palicæ à Deis ibi cultis nomen imposuit, fundauit. Hanc modò Palagoniam eße multorum est opinio; sed quam ex antiquæ illius vrbis ruinis habitare inceperint. Scribitur enim à Diodoro hanc vrbem fortissimis mœnibus à Ducetio cinctam, & distributis in Colonos aruis breui tum agri fertilitate, tum incolarum frequentia coaluisse: sed non multò post funditus excisam, & ad Augusti vsque tempora iacentia domorum cadauera deplorasse. Hinc liquet, quàm procul à vero scripserit Marius Aretius Syracusanus, qui Neam illam censet esse vrbē, quam Ptolomeus Menas appellat, & multa de Ducetio, quem Durentium vocat, è Diodoro citans, quid nā author ille dicat, non intelligit. Nec idonea dubitandi ratio fuit Maurolyco, qui de Policio loquens, fortasse (inquit) ex reliquijs Palicæ vrbis habitatū, plurima enim locorum distantia repugnat: nisi velit ciuium reliquias longiùs profectas alienas sibi terras incolendas comparasse. Sed iam historiam prosequamur. Postero anno Coss. L. Posthumio & M. Horatio, Ducetius coacto Siculorum exercitu, Ennam, quam primò Sicani, postmodum Græci tenuerunt, adortus, fraude eius tyranno circumuēto, suæ ditioni adiunxit. Mox in Agrigentinorū agros irruens, Motyam, vbi Agrigentinorum præsidium

 excu-

excubabat, oppugnauit. Re cognita Duces exercitũ mouent suos ab obsidione liberaturi. Ducetius, vt erat, & armis, et animo inuictus è castris egreditur horum impetum repressurus, consertaque manu feliciter dimicans cùm Motyenses ex oppido erumpentes, tum Agrigentinos acie fugat, & castris exuit. Ad hyemis vsque principia belli reliquiæ superfuere: cœli verò intemperie ad suas quique ciuitates Duces rediere. Interea Syracusani Siculis infesti Ducetij potentiam, prosperamque bellorum fortunam veriti arma contrà capiunt, Bolconem cum multa militum manu ardentes mittunt, qui Siculorum insolentiam reprimeret. Sed nec horum quidem pugnam detrectans Ducetius collatis signis in aciem descendit, & ingentem Syracusanorũ stragem edidit. Rumor tamen fuit Bolconem pecunia corruptum cum hoste conuenisse, & sua proditione potiùs qnam inertia exercitum cædendum adduxisse. quocirca Syracusis meritas suæ fraudis pœnas luere coactus est. Acrioribus itaque stimulis Syracusani irritati, vt primùm per anni tempus licuit alterum Ducem cum maiori exercitu mittunt, eiq; omnino mandant Ducetium cum vniuersis copijs delendum. Non erat huius inscius Siculorum Imperator, promptus in castris ad Nomas expectat, ibique graui animorum pertinacia diutius confligitur, & quàm plurimi vtrinque cadunt. Tandem Siculi Syracusanorum viribus inferiores acie cedere incipiunt, hostiumque insequentium telis percussi

tru-

trucidantur: donec maior pars cum suo Rege in munitissima quæque oppida se receperunt. Dumque milites bellorum euentus, fortunæque mutationẽ formidant, Ducetium, quem pari fortuna cum Syracusanis concurrere non posse iudicabant, in maiori rerum discrimine turpiter destituunt, & in sua quisque loca regrediuntur. Non passi sunt Agrigentini præsenti occasione non vti: Motyon, quod paulò antè perdiderant, facilè recuperant, cùm paucos, qui resisterent, eductis à præsidio militibus eiecissent: mox copias suas cum Syracusanis iuncto fœdere in communem hostem bellum gesturi coniungunt. Ducetius autem à suis militibus derelictus, & qua erat ornatus prudentia prospiciens aliquos, qui in fide remanserant, eo esse animo, vt si qua ferretur occasio, in ipsum etiam Regem impias manus iniicerent, hac vna improbitate Græcorum animos sibi conciliaturi, incertis agitabatur curis. tandem desperatis rebus clanculum à suis discedens, incognitus Syracusas ingreditur, aras prima luce supplex amplectitur Deorum, hominumque fidem obtestans. Conuocato Senatu se, & oppida, quibus dominabatur, Syracusanorum potestati dedidit. Quanuis autem populus rei nouitatem admirans, & vix rei præsenti fidem habens pœnas vt de hoste sumendas insanis tumultibus clamitaret: proceres tamẽ, vt qui prudentius omnia agitarent, homini sese depositis armis dedenti parcendum persuasere. Qua sententia vulgò approbata, iussus est Ducetius Co-

rynthi

rynthi exulare: eidem tamen omnia vitæ necessaria communi decreto subministrarunt. At generosus ille princeps, & si fortunæ abiectus, suorumque perfidia denudatus, animo tamen inuicto multa secum machinabatur: donec exilij seruitutem abijciens, Syracusanorum iussa contemnens, indictaque pacta confringens in Siciliam nauigandum duxit. Neve regressus ille insolentiæ, & pertinaciæ ascriberetur, Deorum oraculo compelli simulauit, Siciliam petere, & in pulcherrimo ad mare Tyrrheni littore vrbem condere iubentium. Sparsit Corynthi huius rei famam; & plurimos ad nouam vrbem struendam incitauit. Vt verò in Sicaniam appulit, ex omnibus Siculorum oppidis legati illū adeunt, qui Syracusanorum impotentiam exosi amicā opē primo, & legitimo Domino offerrent. Horum etiā opera Ducetius adiutus eò peruenit, vt Calatam, (sed quam alij Collatinam, vel Calactam, vel Galatam vocent, Calatam Hieronis, quæ nunc Calatagiro, ab instauratore nuncupari creditā scribit Maur. sed quàm verè, ipse viderit, cum hæc vrbs sit mediterranea, nedum ad mare Tyrrhenum non sita: Sanctum Marcum hodie vocari lib. 1. scribit Fazellus) breui fabricarit. Qua iam tutò condita dum Agrigentini, & Syracusani dimissum ob Ducetium armis inter se decertant, Siculorum Rex à suis ille salutatur: dumque vlciscendas superiorum temporum iniurias meditatur fato prepeditus naturæ cessit, Olympiade 85. anno vicesimo ab huius vrbis

Neti-

Netinæ ædificatione, Romæ Coss. L. Iulio, & M. Geganio, quamuis hæc Diodori Coss. supputatio non in omnibus his consentiat, quæ latini scriptores literis tradidere: quod euenit ante Christi Natalem annis circiter 428.

Ducetio vita functo Siculæ vrbes iterum Græcorum cesserunt imperio: nec tamen omnino Syracusanis erant deditæ, quin prius suo Regi parerent. Viuebat adhuc Archonides Herbitæ princeps, qui Ducetio Corynthо regresso adhæserat, & in Calata struenda plurimo fuerat auxilio. Hic post Ducetiũ Siculorum Rex eligitur: qui tamen ita subditis iubebat, vt & ipse quoque Syracusanis obædiret. Legitur enim Gilippo Lacedæmonio aduersus Athenienses, dum cum Syracusanis bellum gerunt, auxiliares copias dedisse. Et quoniam nouissima huius belli victoria, quæ plurimis prælijs, conatibus, & studijs finem imposuit, in agro Netino parta est, vt celeberrima Pyramis adhuc demonstrat, non alienum à nostro stamine fuerit, paucis illam subtexere, prout à Thucydide, Plutarcho in Nicia, & alijs grauissimis Græcis, ac Latinis Historicis describitur. Athenienses desperata Syracusarum expugnatione, quarum ciues varia licèt fortuna, tamen non minus strenue, quàm pertinaciter pro aris, & focis dimicabant, & in dies hostibus superiores à Gilippi Ducis aduentu, euaserant, obsidionem turpissimè soluunt, & dum Catanam nequeunt, Camarinam confugere contendunt. At Syracusani ob res prosperè

sperè gestas audaciores effecti hostem propellunt, insequuntur, trucidant: deuictoq; prius Demosthene cum eius exercitu, alterũ Ducẽ Niciã ad Asinaris fluuij vada remorantur. Hic enim plurimi militum vel longa siti fatigati imprudenter demerguntur, vel hostilibus iaculis perfossi vulnera moriendo eluunt, vel vadorum, traiectusque ignari cœno, & limo præpediuntur: adeoque miserabile suæ calamitatis spectaculum tradidere, vt nusquam alibi vel simile dãnum, vel peius Atheniensis populus multis alioqui prælijs, & victor, & gloriosus acceperit. Hic tandem, vbi acerrima strage decem, & octo virorum milia procubuere, Nicias Gilippo Lacedæmonio se dedidit fuitque ipsi etiam hosti miserabilis. Septem hominum milia cum Ductore capta Syracusas protrahuntur. Syracusani verò loco non ingrati altissimam quanque arborem flumini incubantem spolijs ornant, et consueta erigunt trophæa: Cumque felicissimè triumphassent, diem festum, perpetuum tantæ victoriæ monumentum, quotannis, vt Plutar. Mense Maio, vel vt Thucydides sub autumnum decernunt, festumque à fluuij cognomine Asinarium appellarunt. Et quoniam arborea trophæa breuius essent duratura, euidentius, & diuturnius rei posteris exemplum tradituri, turrim, quæ ad nostra vsque tempora visitur, solidam Senatusconsulto extruendam voluere. Est ea Pyramis orbicularis in acutum verticem surgens, cui nunc à re ipsa Turri Pizzutæ cognomen tribuitur,

ad Aßinaris fluuij Ripas, qui Falconara à fæudo, & fluuius Netinus appellatur: quoniam & in Netino sit positus, & ex fluminibus, fontibusq; Netinis adauctus in mare exoneretur. Conflictum est illo prælio, vt ex Eusebio refertur, nonagesimæ primæ Olympiadis anno tertio: ab vrbe condita 342. vt scribit Maur. Parta verò victoria, diuturna, vel potiùs (vt credebant) perpetua libertate Syracusani non sunt lætati. nanque non multò post crudelissima Dionysiorum tyrannis patris, & filij est subsecuta: quæ immaniori clade, quàm si hostilibus armis premerentur, subditos confecit. Senior quidem ante Christum natum annis 404. Iunior verò 366. tyrannidem susceperе. Hinc Dionis factiones, & Timoleontis integritas est subsecuta, qui Siculis, Græcisque tyrannis domitis Trinacriã libertati restituit eamque non longo interuallo interrupit Agathocles, qui obscuro loco natus, nempe figulo patre, & libidine, & factionibus clarus Syracusani regni arripuit habenas fœdè tamen ex Africa reuersus post multa licet ibi prosperè gesta infelicem sortitus est exitum, annis ante Christum natum 322. Sequuntur Hieronis Secundi tempora, cùm Pœni in Sicilia prosperiori fortuna sunt vsi, & plura in ditionem oppida acceperunt. nam Pyrrhi, qui Hieronem præcessit, breuissimus fuit principatus. Tum Romani in Siciliæ finibus contra Carthaginenses naualibus prælijs decertabant, & multas etiam vrbes terrestri certamine suo im-

perio subdiderunt. Hieroni & Siculis gratissimo, & Romanis, vt Cic. etiam ipse testatur, commendatissimo Hieronymus nepos successit: qui iuuenili insolentia inuectus fœdo scommate Romanos irritauit, & Punico astu deceptus auita præcepta contemnens meritum sibi, vt turdus, malum asciuit. Nam Romanorum arma, quæ nondum visa Hieronem (vt ipse testabatur) subegerant, & iam ante seruatoris natalem annis 273. Siciliam à Messanensibus accita peruaserant, habuit infestissima, quamuis apud Leontinos à coniuratis ante cædem Syracusanam esset interfectus, annis ante Christi natalem, si rectè Maurol. supputat, 258. Inter varios autem Syracusarum motus ex tyranni cæde, et deffidia, vtrum cum Romanis bellum, an fœdus esset innouandum, tum ciuium dissensionibus, tum Africanis factionibus, vrbe infeliciter tumultuante, Marcelli oppugnatio est subsecuta. Quo Consulari Imperio Syracusas Pœnorum calliditate, Hieronymi Regis insolentia, & perniciosis seditionibus à Romanorum amicitia alienatas obsidente, omnes ferè Siciliæ populi alterutras partes sequebantur. paucissima fuerunt oppida, quæ neutris accederent, & in tanta bellorum asperitate quieta, & pacata residerent. Inter eos populos, qui aduersus Marcellum Syracusanæ propugnationi suppetias adhiberent, Netini à Silio recensentur, qui 14. secundi belli punici libro scripsit: Et Netum, & Mycite, pubesque liquentis Achatæ. At licet diligentissi-

ma

ma fuisset Archimedis industria, officiosi aliorum Conatus, Syracusani Baccho indulgentes tandem sobrijs Romanorum armis perimuntur, vrbe ante Virginis partum annis 214 capta.

Quamuis autem, dum Marcellus consulari potestate Siciliam administraret, plura oppida vi capta, plura etiam dedita Liuius testetur, quòd maiorem insulæ partem penes Carthaginienses fuisse cõstet: tamen maxima pars vrbium in populi Romani amicitiam & societatem ascita est: quod & Ennenses apud Pinatium Liuianum expostulant, & Cic. quinta in Verrem actione his confirmat: Siciliæ ciuitates sic in amicitiam, fidemque recepimus, vt eodem iure essent, quo fuissent: eadem conditione populo Romano parerent, qua suis antea paruissent. per paucæ Siciliæ ciuitates sunt, bello à maioribus nostris subactæ: quarum ager, cùm esset publicus, populi Romani factus, tamen illis est redditus: is ager à Censoribus locari solet. Fœderatæ ciuitates duæ sunt, quarum decumæ vænire non soleant, Maumertina, & Taurominitana: quinque præterea sine fœdere, immunes ciuitates, ac liberæ, Centuripina, Halesina, Segestana, Haliciensis, Panormitana præterea omnis ager Siciliæ decumanus est, itemque ante Imperium populi Romani, ipsorum Siculorum voluntate, & institutis fuit, &c. Nequem tamen moueat, vbi duas dicit esse fœderatas, Messanam & Taurominium, quòd alias ab hoc priuilegio excluserit, quemadmodum non-

Neutr foedera iunxit cum Romanis

nullos sibi persuasisse opinor, siquidem ex eodem accusatore habemus, & Netum pari cum Romanis fœderum iure astrictum. quod actione septima pluribus locis cum ingenua huius vrbis laude testatur. Verba eius sunt: Age porrò tu, qui te tam religiosum existimari voluisti interpretem fœderũ, cur Tauromitanis frumentum cur Netinis imperasti? quarum ciuitatum vtraque fœderata est. at Netini sibi quidem non defuerunt. nam simul ac pronuntiasti libenter te Mamertinis remittere, te adierunt, & eandem suam caussam fœderis docuerunt. tu aliter decernere eadem in caussa non potuisti: pronuntias Netinos frumentum dare non oportere, & ab his tamen exegisti. Cedo mihi eiusdem prætoris literas, & rerum decretarum, & frumenti imperati, tritici empti. Quid potius in hac tota, ac tam turpi inconstantia suspicari possumus: iudices, quàm id, quod necesse est, aut isti à Netinis pecuniam, cùm posceret, non datam, aut id esse actũ vt intelligerent Mamertini, bene se apud istum tã multa pretia, ac munera collocasse, cùm idem alij iuris ex eadem caussa non obtinerent? hæc ille. In eadem, dum Cleomenis Siculæ classi præfecti ignauiam & Verris negligentiam, libidinem, auaritiam incusat, cum pari huius vrbis commendatione, & præ cæteris celebritate Netinorum testimonium producit. Ego (inquit) culpam non in nauarchis, sed in te fuisse demonstro: pretio milites, remigesq́; dimisisse arguo, hoc nauarchi reliqui dicunt: hoc

Netinorum fœderata ciuitas publicè dicit: hoc Herbitenses, hoc Amestratini, hoc Ennenses, hoc Agyrinēses, Tyndaritani, Locrenses publicè dicūt. Hactenus. Nec tantùm Oratorem sibi contradicere opinamur, qui duas cùm proposuerit, tres subinde enumeret. qui enim duo dicit, quæ tria, non mentitur: siquidem ternario numerus binarius includitur. Stultum sanè foret, siqua duo tantùm, trium nomine appellaremus: quoniam cum eis non conuertitur subsistendi consequentia, vt duo cùm sint tria etiam necesse forent. quod & Aristoteles ipse tradidit. Est & illud oratoriæ, & poeticæ artis documentum, vt quædam nunc dicat, quædā in præsens tempus omittat. Fœderatam igitur cum Romanis Vrbem Netinam nemo inuidus inficiari audebit. Cuius alia rei caussa esse non potuit, nisi quòd inexpugnabilis loci natura à bellicis direptionibus immunem præstitisset: & cùm inuitos, tum fideles ciuium animos dignos Romani existimassent, quibus cum sacra societatis, & fœderis iura percuterent. Quòd post Syracusas à Marcello expugnatas contigisse, si prædicta rectè examinamus, nō est dubium. In ea igitur Romani fœderis immunitate constituta ab improbissimi Verris immanitate se defendit, & sibi aduersus triennem tyrannidem non defuit. (Vtinam, & nostræ tempestatis homines, qui Rempublicam gerunt, maiores suos in maiori necessitate, & aduersus minores ciuilium immunitatum corruptores imitarentur) quamuis enim frumentum

 mentum

mentum decumanum Netina ciuitas non deberet, tentabat miluinus ille prætor à Netinis aut pecuniam, aut frumentum extorquere. illi tamen, & suas leges illæsas fortissimè conseruarunt, et Cicerone accusante, cum alijs populis legatos Romam miserunt, qui in Verrem publicè testimonium dicerent. Venit autem Verres in Siciliam Prouinciam, vt ex Liuianis fragmentis, & his, quæ à Cicerone dicuntur, colligimus, anno ab vrbe condita, (quicquid alij scribant) 677. ante Christi Natalem, 75. & triennio, vt Cicero flebiliter æquè, ac iustissimè deplorat, furtis, rapina, sacrilegijs, stupris, cæde, ignominia, cæterisque flagitiis turpissime fœdauit: quamuis iudicum corruptela, & perditissimis hominum moribus, quod & Lactantius Ciceroni, alia tamen de caussa exprobrat, tot scelerum absolutionē redemerit. nec me latet alios scribere Verrem conuictum sponte exulasse.

Quæ deinceps ad vrbem Netinam pertineant, iam integra Chiliade ad Rogerij Comitis tempora non legimus. Nihil enim est quod reperiam ab vllo ea de re literis mandatum. Plurima & scriptorum incuria, & temporum calamitate inuida rerū deleuit obliuio. Sub Romano imperio cum eadem fœderis integritate perstitisse opinamur, Christianamque fidem iam à prima ipsius per orbem terrarum satione cum cæteris Siciliæ populis accepisse non ambigimus. Nam si Apostoli ipsi huc appulere, vt de Petro nonnulli scribunt, & de Paulo cer-

tissi-

tissimus est Sacræ paginæ sermo, & ab ipso Petro missos, qui Syracusis, & alibi prædicarent, inuenimus; par est credere à primis ipsis temporibus Netum cum alijs Christiana religione imbutum, & sub acerrimas Imperatorum persecutiones & aliorum tyrannidem in Sacrosanctæ fidei confessionem effuso per illata supplicia sanguine terram irrigasse. nec enim sic repentè sub Grecorum imperio, & Africana oppressione tota ciuitas Christiana effecta est. Quemadmodum multa, & de alijs ciuitatibus, & de martyrum historijs desiderantur, ita huius salutiferæ Religionis initia, & felicem sub infidelibus Imperatoribus progressum non legimus, quam rerum seriem, & tẽporis incuriose lapsi e narrationem prætermittere sine dolore nõ possum; cùm præcipuè ad Dei optimi maximi cultum, & martyrum venerationem pertineat. Multa igitur secula silentio pertransimus, quibus Netinos parem cum cæteris Siculis calamitatẽ potiùs perpessos, quàm vlla prosperitate subleuatos nõ ambigimus. ea etenim tempora percurrerunt, vt inertia, libidine, ingluuie declinante Imperio Romano, nulla in Christianos crudelitas, nullum impij flagitij genus sit omissum; cùm improbißimus quisque tyrannus, & Deo, & Imperatoribus se obsecutum putaret, siquẽ Christianæ Religionis aut admotis tormentis cruciasset, aut saltem prodidisset. Vbi verò sæuissimi persecutionum fluctus resederunt, & facta imperij diuisione Græcis Imperatoribus Sicilia paruit, ali-

quantisper res Siculæ quieuere, & multa Sacella opere græco, quorum nonnulla in Netino adhuc vi funtur, sunt extructa: quamuis medio quodam tempore complura Getarum insolētia, qui 18. annis Siciliam tenuerunt, sunt polluta, & diruta: quemadmodum, & complures aliæ prouinciæ eadem hominū face contaminatæ leguntur.

Successit non minus fœda, sed et diuturnior Arabum colluuies; qui licèt superioribus temporibus vario Marte, & pluribus bellis Sicaniam tentassent, anno tamen Christianæ salutis 822. à Georgio Maniacio (vt vulgò perhibent) Siciliæ præfecto, cùm à Michaele Imperatore defecisset, vel potiùs ab Euphemio, si veraciores sequi volumus, Sarraceni in Trinacriam asciti fortiùs pedem fixere. Quã uis autem Christianis coactis tributa pendere vitã condonassent, reliqua tamen sub suam ditionem tenebant. multa tamen oppida condidere, multos hortos conseuerunt, multa loca mœnibus circundederunt, & hinc quàmplurima locorum, & fontium, nomina apud Netinos, quemadmodum & totam Siciliam ab Africa accepta perdurant, quorum plurima sparsim in opere recensentur, dum nostratia loca memoramus. Occupatam hanc isti prouinciam ducentis triginta annis cùm maximo Siculorum, imò & Christiani orbis dedecore tenuerunt, quam Rogerij Comitis industria, & Nortmānorum militum opera, in primis strenua anno à Virgineo partu 1060. deperdere inceperunt. Et quoniam non to

tius insulæ (quod huberrimè proinde ac fœcundissimè faciunt alij) sed vnius tantùm, eiusque exigui populi historiam teximus, quæ ad illum vnum pertinent, calamum coercentes attingimus. sub extremis huius arabicæ tyrannidis temporibus, dum Rogerius Comes, ductor quidem ob Siculorum salutē à Deo missus, infidelium vrbes, & oppida feliciter expugnaret, Netum sub Bennaueri qui Syracusanis etiam imperitabat, ditionem fuisse Siculi testātur annales. Eo autem submerso, dum nauali prælio cum Rogerio contendit, eius vxor cum liberis, & aliquot primoribus viris noctu Syracusis egressa Netum, vt in securiorem arcem confugit. Cumque sola hęc ciuitas superesset, reliquis iā uel vi captis, vel in fidem acceptis, anno salutis 1090. Netini Christiani Bennaueri vxori persuadere cœperūt, vt iam considerata punicæ calamitatis fortuna, & inuicta Nortmannorum potentia, ne vna totius Siciliæ vires aduersus se excitaret, tanto oneri sustinendo planè impar, vrbem dedi pateretur. Illa demum Barbarico fastu intumescente, & iam omni auxilio destituta, ne vbi prosperiori solio regnauerat, seruire cogeretur, in Africam cum familia vltro dimissa, Netini legatos ad Comitem mittunt, qui tum Mylis degebat, se, & vrbem eidem committentes. Quod gratius Rogerio fuit, quàm vt verbis explicaret, totius Siciliæ libertati iam diuina ope prouisum, & Sarracenico Bello iam finem impositum gratulanti. Tum Netum Iordano Filio, il-

legi-

Iordanus Syracus.

legitimis nuptijs generato tradidit, eique peroppor tunam arcem quæ etiamnum extat, in vrbis verticem extruendam iubet, firmissimum aduersus deficientium, siqui forent, motus propugnaculum. Superest adhuc tum munitissima aggerum, & turriũ series, tum intra arcem templum Diuo Michaeli Sacrum, ingentibus lapidibus, & columnis mira arte erectum. Præficitur post hæc Iordanus vniuerso Siciliæ regimini, dum pater in Melitenses adhuc eorundem paganorum reliquijs occupatos bellum gerit. tandem Syracusis, cuius vrbis administrationem gerebat, anno ab orbe redempto 1093. morbo correptus decidit. post cuius mortem, quamuis quædam oppida, quibus Iordanus imperauerat (nec id impune) libertatem conclamassent, Netini tamen sub Comitis imperio, quem Dominum alacriter acciuerant, & sub cuius ditionem oppida filio donata recciderunt necnon eiusdem successorum obædientia fidelissimè perstiterunt. Venerunt autem in Siciliã cum Rogerio, & Fratribus inter alios nobilissimos equè, ac fortissimos milites, qui & Sicaniam à paganorum manibus eximendam adiuuerunt, & eandem Illustrissimis familijs adhuc exornant Landolinæ, pars quidem tanti operis non exigua: quemadmodum, & ipse eorum ductor in priuilegio Calatagironensibus pro agro, cui ab Hamo Petro cognomen est, concesso testatur. Interim in perpetuam rerum feliciter gestarum memoriam excussa sunt numismata, quæ ex vna parte cum his literis, Roge-

Landolina

rius Comes, virum armatum Cataphracto insidentem ostenderent, ex altera verò Beatæ Virginis imaginem puerum Deum, hominemque vlnis complexam, cum hac inscriptione, Sancta Maria. Vidimus, dum hæc scriberemus, vnum, quod est penes Petrũ Boream, virum tum nobili, & vetusto genere natum, tum omni virtutum integritate diligendum. Et quamuis rude illius tempestatis artificium redoleret, pluris tamen hoc vnum faciendum admonui quàm plurima, & Græcorum, & latinorum, quæ limatiori typo incisa, & spectantur, & in pretio habentur. Hic enim singulari pietate præditus tãtam collapsis Siculorum rebus opem tulit, vt deinceps inter Christianos viuere acceptum nos illi referamus. Inter alia, quæ plurimis in locis (tanta inerat viro Christianæ Religionis obseruatio, & ardor augmenti) magnificentissimè templa fundauit, & munificentissimè dotauit, extat in Netino eiusdem diligentia nobilissima ædes Diuæ Luciæ Romanæ viduæ sacra, quam cœnobitis sub Diui Benedicti regula militantibus assignauerat, sed quam morte præuentus perficere nequijt. Naturæ Comes cessit Mileti, quod est Calabriæ oppidum, mense Iulio à Christo nato annis (vt omnes scriptores consentiunt) 1101. annos natus septuaginta: sed cuius plures victoriæ quàm ætatis anni numerentur. Qua in re multos sibi contradicere perspicuum est, qui dicant Rogerium Bossum Tancredi filium fratrum Nortmannorum natu minimum cum fratribus,

& Maniacio anno salutis 1004. in Siciliam venisse, & 70. ætatis anno defunctum 1101. Propterea hunc Comitem, qui Siciliam deuicit nonnulli alium esse Rogerium putant. Sed quoniam (vt Fazellus vidisse testatur) in quibusdam priuilegijs eorundẽ Fratrum, parentumque nomina explicat, magis credimus mendum esse in eo, quod dicitur primo Nortmannornm in Sicilia congressui interfuisse, an. sal. 1004. natus enim ex hoc calculo inuenitur, an. Domin. 1031. Sed adhuc restat alia difficultas, quòd ex istorum annalibus Tancredum horum patrem iam ante illorum Fratrum in Siciliam aduentum mortuum dicunt. Quamobrem hæc studiosores viderint: nobis sat est monstrasse locum, & aliorũ sententias expectantes ad nostram historiam properare.

Simonem Filium Rogerio successisse legimus, sed quem immatura fata paterna hæreditate, & victorijs frui non permisere. eidem Frater Rogerius patriam cùm inuicto nomine animi generositatem gerens subrogatur. qui Comitatus titulo non contentus Regium nomen affectauit, & Panormi Coronatus est. Hoc Rege Tancredus eiusdem amitinus, Gulielmi Syracusarum Comitis Filij, Diuæ Luciæ, quam ad Syracusanæ differentiam, Montanam vocabant, templo in agro Netino, ad Syluam, quercetumque, cui nomen est Bauli, à Rogerio inchoato summam manum imposuit, & Gulielmo Episcopo Syracusano Rogerij Præsulis successori dicandam mandauit.

mandauit. preerat cucullatorum Ecclesiæ Goffredus Pictauiensis prior. Collatum est ecclesiæ fœudum, cui à re ipsa Sanctæ Luciæ cognomē permansit: quin etiam inter latos agros, & alia eidem in dotem attributa datus est viculus Sarracenico nomine Rabalbaraois, necnon quidam rustici, reliquias opinor oppiduli, quam olim Mendulam dictā legimus. Sic pleno iure exactum, est cœnobiū, quod vulgari quidem nomine, sed quo plærunque vtendum est, Abbatiam nuncupamus. ibidem sepultus est Robertus Tancredi filius. Datum est diploma Syracusis octauo idus. Augusti, vndecimæ inditionis, anno à verbi in carnem aduentu 1103. vidimus nos illud ex omni parte integrum in Netina Curiæ Gazophilatio, prout sub Rege Alphonso Leontij anno salu. 1445. excriptum est, cura Fratris Iacobi Constantij tum eius monasterij Abbatis. Et quoniam Diuæ Luciæ, cui ornatissimum templum est fundatum, meminimus, operæ pretium est, & historiam eiusdem texere, quomodo ea, & Geminianus martyres in eodem templo sint sepulti prout apud nonnullos scriptores reperimus, quanuis quosdam aliter scribere non ignoremus. Lucia Vidua Romana à filio Christianæ Religionis accusata passa est sub Dioclitiano. Romæ varijs supplicijs affecta Geminianum virum nobilem conuertit, & Christiana fide imbutum è baptismatis lauacro suscepit. Plurima illi quidem pro Christo tormenta subierunt, & in Vrbe Roma tecti lapsu, quo index, &

De S. Lucia Romana

alij infideles sunt oppressi, quasi exanimes dimittuntur. Vnde factum opinor, vt nonnulli Romæ eius natalem ascripserint. Sed inde erepti angelico ductu in Siciliam peruenere. Tauromenij dimissi, postmodum in Alesino agro Eucrapionis Filiam decem iam annos obsessam à dæmone liberarunt. Simethum fluuium sicco vestigio pedites licèt, & ponte non traiecti pertranseunt. Demum Mendulã oppidum assecuti plurimos firmitati restituunt, dæmones expellunt; & plurimos Christo Filios pariunt. Qui verò ibi iura dicebat. Apophrasius re cognita 75. viros ab inanibus Deorum simulacris ad verum Deum conuersos impia securi percussit: domum tamen reuersus diuina vltione æquo collapsus expirauit. facinus Syracusis nuntiatur: vbi Megasius iudex, pater Paschasij, sub quo inuicta illa Syracusana Virgo Lucia alias virtutes martyrij palma cumulauit, residebat: Mendulam adit in Sanctos animaduersurus. Luciæ tamen precibus facto hiatu mons crepuit, & Christi fideles abdidit. dumque triduo siti ibi conficerentur fons diuinitus è saxo erumpens instar fluminis præterfluxit, eosque refecit. Permanet ad nostra vsque tempora puteus iste in eadem spelunca effossus; & aquæ plures infirmos Dei, & Luciæ nomine inuocato feliciter curant. Petijt autem à Domino Sanctissima illa Matrona, vt tandem in pace quiesceret: quod euocato in cælestem patriam spiritu obtinuit. egressus autẽ Geminianus, vt quoquo modo Luciæ corpus sepeliret,

ret, à Carnifice gladio percutitur, & in antrum deuoluitur. Quâ cùm quædam mulier nomine Maxima pertransiret, odoris fragrantiam è monte redolentem sentiens eò se contulit, duoque marmorea sepulcra angelico ministerio condita comperit, in quibus Sanctorum corpora contexit, & templum (erat enim mulier prædiues) sub eorum nomine in collis vertice fabricauit: Illud autem esse templũ, vetus est traditio, quod dirutum coram æde à Rogerio fundata iacet, & vix stantem portiunculam, quam Tribonam vocant, more græco erectam ostẽdit. est in eo fons ille multis gradibus subterraneus de quo meminimus loquuntur hac de re plures libri manuscripti, quorum vnus est apud Catinenses Pergameno excriptus, & sua vetustate multis admirabilis, & penes Canonicos Diuæ Agathæ diligentissimè conseruatur: habentur & Neti duo manuscripti, eandem historiam pluribus verbis referentes, quorum vnum possident moniales Sacratissimi Seruatoris; alterum verò presbyter Vincentius Xacca. loquitur hac de re Petrus Natalis in vulgato Sanctorum Catalogo: scripsit Vincentius in suo historiali, & eundem refert Diuus Antoninus prima historiarum parte tit. 8. cap. 1. §. 37. meminerunt etiam quædam breuiaria, quibus Syracusana ecclesia iam à vetustissimis temporibus vtebatur. Est adhuc apud Netinos, & Palatiolenses, aliosque accolas celebre nundinum sub eius festum diem 16. Calen. Octob. Mendula verò diruta, eius

Mẽdula

ager

ager sub Netino est, necnon & fœudum in quo, & templum vtrunque, vetus à Maxima, & nouum à Rogerio ædificatum. Confirmatur Fazelli testimonio, qui scripsit: Mendula oppidum iacet, vbi & tẽplum est Diuæ Luciæ, & paulò infrà pyramis, & vrbis antiquæ prostratæ ruinæ. hæc lib. 1. & in Abbatiarum Catalogo eam Sanctæ Luciæ à Mendula appellat, quod in eius rei testimonium vergit, vt euidentiùs constet ibi olim oppidum; aut non procul extitisse tradit Cœnobium à Rogerio Comite cõditum, idque eius diplomate dato Syracusis, an. salut. 1100. vbi licet animaduertere mendum esse impressorum. quod lib. 10 scripsit, 1110. Quod aliqui non attendentes vel ipsi temporum ignari decipiũtur, vel eius, quod author scripsit, incuriosi alios etiam in errorem inducunt. In quem lapidem impegisse video Dominicum; qui Fazelli opus Italo idiomate mutauit. Illud tamen nobis deplorandum. Quòd hæc Abbatia diutissimè derelicta solo, & nudo adhuc titulo perdurat, prouentibus à Canonicis Sancti Ioannis Lateran. in Vrbe Roma exactis, & tanti operis æde (miserabile visu) delapsa testudinis parte in dies ruinas minante: Dum tamen hæc scriberemus, electus est Abbas Paulus Callares præsbyter non minori vtriusq; iuris scientia, quàm virtutum synceritate præditus, hinc loci instauratio, sarcta tecta reficienda, & cætera in melius mutanda sperantur.

t *Anno verò Christianæ salutis 1154. (vt Fazellum*

lum hic ſequamur, quamuis, & ipſe in ſubducenda temporis ratione plærunque ſibi non conſentiat. quicquid ſcribant Maurolycus, Matthæus Syluagius, Regni Conſtitutiones, & alij annales aſſerãt, nihil quidem Mendoſius, & corruptius, quam Regum ſucceſſiones continentes, Rogerio Regi ex humanis decedenti Gulielmus Filius ſucceſſit ſed cui auaritia, in clementia, crudelitas Mali cognomẽ indiderunt. quem ſcribunt auro, & argento vndique collecto coriaceam monetam publicè expendendã iuſſiſſe. Sub hoc Rege (quod ad noſtram hiſtoriam facit) Goffredus Montis Canoſi Comes multis virtutum inſignibus nobiliſſimus poſſidebat in Sicilia Netum, Sclafanum, Calataniſſettam: ſed Netum, quòd & natura, & arte, & populi frequentia eſſet munitiſſimum, pluris faciebat: Quo tempore Maio admiratus, vt ex viliſſima Barenſium fæce, ita ad celſiſſimam Regni dignitatem indigniſſimè prouectus, & cui Rex debito credulior acquieſcebat, inter proceres, & Regem iniquiſſima diſſidia ſeminãs Gulielmo perſuaſit, vt Netum à Goffredo eriperet, & ſibi in Regni tutelam deligeret, Comitemq; iucundiſſima ſede ſpoliaret. Quod & contigit. Quippe vbi principes aſſentationi, & inuidiæ, vitijs optimæ cuique virtuti pernicioſiſſimis faciles præbent aures, quid boni non excluditur? aut quid mali non committitur? Gulielmo Malo Gulielmus filius à contrarijs patri moribus Boni cognomen aſſecutus (vt rectiſſimè omnium refert Fazel-

 lus

lus ex Guiscarda Falcandi historia) salutis anno 1166. die nono Maij successit: eique sine liberis mortuo 1189. à Siculis proceribus Tancredus Rogerij Regis ex Concubina filius subrogatur: sed quinto post anno morbo correptus Rogerium filium Regem declarat, & paulò post moritur. Rogerius tamen Henrici Imperatoris fraudibus Regno spoliatur, & in Germaniam deportatus crudelissimis supplicijs vita exuitur. Henricus igitur, qui Constantiam vnicam Nortmãnicæ familiæ Sobolẽ Pontificis maximi consensu è monialium claustris extractam duxerat vxorem, eiusque iure Siculum Regnum sibi asciuerat, anno 1195. Siciliæ suscepit Habenas, & regnauit ad annos Christi 1199. suscepto ex Constantia filio Friderico, quam annis grauem, ne qua subdititiæ prolis suspicio suboriretur, sub Conopæo in medio foro in Apuliæ enixam referunt. Infans autem Fridericus in Siculo Regno Patris substitutus septimo suæ ætatis anno Panormi Coronatur. anno huius Regni 14. & sub Adamo Episcopo Syracusano, legimus Isimbardum Morengiã Netinorum Dominum fuiße: qua autem concessione id obtinuerit, nescimus: nec tamen inde, quomodo eo defuncto, proleque extincta (habuit filios Henricum, & Gulielmum) vel aliàs oppidi iura amittente, ad Regem deuolueretur, inuenimus. Vnde coniicimus Isimbardum, vel filios in eam conspirationem consensisse, quæ circiter an. sal. 1232. à Messanensibus, Syracusanis, alijsque populis excitata

tata est, nec multò post seditiosis pœna mulctatis cõpressa. Hic ædificauit monasterium Sanctæ Mariæ ab Arcu ad quintum ab vrbe lapide ad Aquilonẽ. dotauit Ecclesiam quatuor fæudis, quorum vnum nomen retinet à loco, vbi templum est situm (dicitur enim ab Arcu) alia sunt Planettæ, Gaitanini, et Bulchalem. Omnia hæc fratribus, & Abbati Rodulfo, eorumque in ordine Cistercienfi successoribus tradidit, & assignauit: & in eodem templo ipsemet Isimbardus est sepultus. Vidimus nos peruetustum instrumentum, quod adhuc integrum seruatur à Netinis habitum Mense Nouembri, à Virginis partu anno 1212. leguntur ibidem multa oppidulorum nomina, quæ olim in agro Netino sita nũc iacent: quorum vnum est Bulchalem, Africanum nomen, cuius ager vulgò vocatur Buchachiemi. fuerat olim Gulielmi Crosno, qui cùm à Rege Friderico defecisset, oppido mulctatus est: idque Isimbardi precibus eidem ecclesiæ eius arua hodie possidenti est concessum. alia sunt. Hadec, quod vulgò Hadedi, Mezuluirum, Lausi, Saccullini, Cellarini: hæc omnia oppidula stabant sub Isimbardo, dum Netinis, & horum populis dominaretur. Item Bulful, cui modò Bursuni est nomen, vt eiusdem literis constat, temporis peruersitate dirutum dicitur, ita vt sub Isimbardo iaceret. Mortuus est Fridericus secundus eius nominis Imperator, & primus Siciliæ Rex, ducentis quinquaginta Lustris à verbo in carnem misso, quem non multò post sequitur

Conradus filius, cui pater Siciliam legauerat, veneno à Manfredo fratre, eoque ex Concubina genito sublatus. Manfredus an. sal. 1256. Panormi coronatur: sed Romanis Pontificibus ex sua, paterna, auitaque insolentia odiosus à Carolo Prouinciæ Comite, Andagauensium Duce in Neapolitanum, & Siculum Regnum accersito, collatis signis dimicando interficitur, annis à Virgineo partu 1265. Conradinus Conradi filius Regno auito, patrioque successurus tertio post anno, & ipse à Gallico exercitu captus Neapoli securi percutitur. Tum Carolus, infausto tamen omine, Siciliam suscepit gubernandam dicam, an populandam, contemerandam, delendam? Tanta enim immanitate, auaritia, stupris, sacrilegijs, strage Galli Siculos nil tale merentes premebant, vt tandem victa malis patientia, et impijssimæ seruitutis iugo excusso, Panormi primò mox in reliquis Siciliæ vrbibus, & oppidis, hora (vt in veteri prouerbio est) vespertina, omnes Gallos vnanimi consensu trucidarint, anno salutis humanæ 1282. cùm annis 17. à Manfredi morte sæuissimam in Sicilia tyrannidem exercuissent. Gallis cæsis, Caroloque frustra secundò dominatum tentãte, Siculi Petro Aragoniæ Regi ad huberrimum, & fidelissimum Regnum accito se dedunt, & in eius protectionem committunt. Cui defuncto 1286. Iacobus filius successit, per quem Regni Constitutiones primò inceptas habemus: eoque in Aragoniã ex paterno testamento profecto, Sicilia Friderico

Secundo

Secundo traditur, qui pro Siculis acerrima aduersus fratrem ad Gallos inclinatum, & alios hostes gessit prælia, & Siciliam ad annos Domini 1336. vt limatiores annales Siculi, & Fazellus scribūt, fortissimè gubernauit.

Circiter autem nostræ salutis annos 1300. Roberto Caroli Regis filio, Duce Calabriæ, Siciliam multis excursionibus, & insidijs infestante, Vgolinus Callares multis muneribus sollicitatus, minisq; etiam addictus animo ignaua formidine terretur, & Netum, quod pro Friderico Rege tenebat, à quo è Sacro Baptismatis fonte filius susceptus fuerat, eidem Roberto impia & nefaria proditione tradidit. Nec multò post sub Gallorum regimine perstitit. nam biennio ferè transacto inita est pax inter Fridericum, & Robertū, omneisque Siculæ Ciuitates Friderico sunt restitutæ. Dum autem hæc agerentur, Ioannes Cappellus nobilissimus miles (inclyta semper fuit Neti, vt & in Italia, vnde dicitur oriunda, Cappellorum familia, & ad nostra vsque tempora continua nobilitatis successione dignissima queque officia, & præclarissima munera, & in hac vrbe, & in tota Sicilia gessit. quin imò cùm primùm Landolinæ, strenuissima Nortmanni generis soboles, Neti commoratum venissent, nobiliorem, quamuis multas fuisse legerim, quacum affinitatem contraherent, Cappellis familiam non inuenisse dicuntur) Ioannes inquam Cappellus Dominus oppidi, & feudi Chandasini olim in agro In-

 spicæ

ſpicæ fundi, nunc autem Netino, vt erat patriæ amantiſſimus, & erga Aragonios Reges iuſtiſſima pietate ornatus, plurimùm laborauit, vt ad Regē Fridericum, tanquam verum, & iuſtum Dominū Netini redirent: ſed Roberti præſidio & eorum potentia, qui pro Roberto iura dicebant à tumultibus excitandis absterrebantur. Nec defuerunt Ioanni, habitis Regum conuentionibus, digna ſuis laboribus præmia. opes enim, quibus Gallorum iniuſtitia, & atrocitate fuerat expoliatus, Friderici munificentia recuperauit. Fuerat hic Manfredo Siciliæ, & Neapolis Regi vt chariſſimus, ita etiam fideliſſimus. tanta enim inerat homini gratia, vt facillimè principum animos ſibi conciliaret. Cuius inuidiâ à Carolo Rege, qui Manfredo ſucceſſit, & eius amicos habuit infenſos, bonis omnibus (quæ erat Gallorum truculenta cupiditas) expoliatus exulare compellitur. Cæterùm, mutante fortuna vices, Gallis è Siculorum dominatu eiectis, ſub Petro Aragoniæ, & Siciliæ Rege Netum rediјt, & in patria honeſtam vitam degebat: donec quorundam proditorum ſolicitudine Netini ab Aragonijs deficerent. In ea tamen defectione Ioannes (vt diximus) ita legitimorum Regum obſeruantiſſimum ſe præbuit, vt pro viribus patriam ad illorum iuſtiſſimam obœdientiam, & regimen reducere contenderit. Cuius rei non ignarus Fridericus, cui hic humiliter voluit ſupplicatum, pagum illum et fæudū ium rebellionibus, & Regum conuentionibus Fiſco

Regio

Regio deuolutum, & Gombaldo Podio antea traditum, Ioanni Cappello, quem inculpabilem, & innocentem fatetur; Netinis officialibus restituendum mandauit, dum Catanæ adesset, Calen. Nouembris, an sal. 1302. Vidimus nos literas Regias, quas Bartolomæus Prouina, Iacobus Vassallus, Guido Falesius, Franciscus Cacciaguerra, Iudices executi sunt, & quibus viginti testes subscripsere. Tum Ioannes Senio confectus læta, & felici pace in domino quieuit. Nec defuerunt ea tempestate alij nobiles, qui Neti florerent, & Sanctissima disciplina gubernarent, vt fama per omnes Trinacriæ vrbes diffusa prædicabat. Comperi Gerardum Bombaronẽ vnde opinor familiæ Baronum genus oriri, an. sal. 1523. in pretio fuisse. lego & alterum Ioannem Cappellum iudicem cũ prædictis Bartholomeo Prouina, Iacobo Vassallo, Guidone Falesio, & Francisco Cacciaguerra, anno Dominicæ Incarnationis 1332. erant quippe Cacciaguerræ nobilissimi, & feudorum Domini, vt inferiùs patebit. inuenimus Rinaldum Cappellum Antonij filium Dominum feudorum Mulisinæ, Bumbuscuri, & Alfani. Floruit eadem tempestate Gulielmus Buccherius, insigni vir sanctitate: qui animo, & viribus fortis in Friderici Aulam, & sodalitium admittitur. Quo tempore contigit, vt venando ferocissimus aper Regi insultaret, eiusque vehementi conatu equus absterritus parum abfuit, quin sessorem deijceret. Quod vbi Gulielmus aspexit, equo desiliens Regi

opem laturus accurrit, &, vt erat animo strenuissimus, audet aprum obnitentem inermi manu adoriri audaciùs potiùs, quàm prudentiùs bestiam superaturus. acerrimo illa impetu inuecta aduersario inter media fœmora infestos genuinos impingit, immanique rostro subducto iuuenem ingenti plaga sternit: & quamuis interea inuicta Friderici manus aprum felici vulnere peremisset, Gulielmus tamen sui corporis viribus fractus, & valetudinis inops è sylua semianimis deportatur. Cui Rege cætera benignè promittente, & vltro offerente idoneũ reliquæ vitæ subsidium: nil tamen aliud, quàm domunculas quasdam prope Crucifixi templum, reliquias (vt in quadam Diui Conradi historia inuenio) Africanæ arcis postulauit. quò se recipiens abiectam, & tenuem, sed ingenuam, & inculpatam vitã exegit, omnibus suis ciuibus præ generis antiquitate, & morum honestate charissimus. Huc admissus est (peregrinos enim, quotquot baculis sub alas subnisus incedens poterat inuenire, hospitio inuitatos pro viribus sustentabat) Conradus miles Placentinus, cuius historiam inferiùs subijciemus: & ad eius mortem, quæ fuit an. sal. 1351. dignissimam Christiana pietate vitam duxit. Nam deinceps patriam relinquendam ratus, vt commodiùs, & liberius Dei se obsequio prorsus manciparet, Siclim profectus est: vbi in quadam Casula vilis, & ignotus requieuit, donec multis miraculis Illustris animam Deo redderet. eius hodie reliquiæ magnæ sunt

apud

apud Siclenses venerationi, & in Diui Matthæi religiosa pietate coluntur: eiusque festum Dominica in Albis cum frequenti aliorum populorum Cõuentu quotannis celebratur. Vbi tanti viri meritis complures ab hernia, al·ísque morbis liberãtur. Extiterunt, & sub Friderico in armis inclytissimi Landolinæ, strænuissimam rei militari operam nauantes, & cùm bello clarissimi, tum suis Regibus fidelissimi amplissimos honores, & ditissima sibi prędia compararunt. Dum Rex Aedonem oppugnaret, Bartholomæus Landolina propter res non minùs validis viribus, quàm firmo animo erga Fridericũ gestas ab eiusdem principis munificentia pro se, & hæredibus fæuda Frigẽtinos, & Grampolum, quæ fuerant Thomę Piscis, qui à Rege descierat, obtinuit, necnon, & alias proditorum opes adeptus est. Datum, est diploma in Castris, die 23. Ianua. an. sal. 1300. Quarto eiusdem Regni anno. Huic successit Ioannes Landolina, qui decedens an. 1358. habuit filios superstites Bartholomæum, & Vassallũ, quibus legauit fæuda Frigentinos, & Grampolum, & Charciciram. lego etiam Bartholomæum Landolinam Vassalli fratrem legasse fæudum Frigentinos Mutio filio, & Accardo Grampolum. Conditum est testamentum Neti die 18, Iulij, quintæ Inditionis, 1382. Mutio successit Ioannes Landolina filius, qui sub Alphonso anno Domini 1440. Friderici priuilegium excribendum curauit. idem fecit Rogerius Landolina magni nominis miles, Ioãnis.

succes-

successor an. sal. 1465. Anno à Dei filio in terris nato 1333. Mense Decembri (vt in Ennensi historia copiosius explicuimus) Ioannes vicesimussecundus eo nomine Romanus Pontifex vltimum propè diem spiritum efflaturus Siculos anathemate, & interdictis absoluit, quibus ob violatam ecclesiasticam immunitatem illigarat. Sunt deinceps Sacra Ecclesiis restituta, quibus diutissime caruerant. Tũ primum ex Eremo Conradus egressus pia loca visitaturus bina vna die edidit miracula: nam & Antonium Sessam è diuturno lateris dolore liberauit, & sartoris filio herniam coërcuit. Aucta est Netinis lætitia tanti viri incolatu donatis. Nec multò post Neti Fridericus honorificentissimè est exceptus, & Pachyni littora, reliquamque hora maritimam proximè visurus pyratas terrestri prælio fudit. Idem verò fato concessurus Gulielmum filiũ Netinorum, & quorundam aliorum Ducem creauit. quod fuit an. sal. 1335. Collatis aliis dignitatibus, & oppidis Ioanni Gulielmi fratri. nam Petrum natu maximum Regni Consortem asciuerat. Sed Gulielmus Regis (vt appellant) Infans Athenarum, & Neopatriæ Dux, Calatafimij Comes, & Neti Dominus apud Panormum decedens Ioannẽ suorum omnium iurium hæredem reliquit, anno à Christi Natali, 1337.

Interea Petrus Secũdus eo nomine Siciliæ Rex solus gubernandæ prouinciæ onus suscepit, in qua multa sanctissimè instituit, quæ subditorum emolumento

mento

mento essent profutura: plura ab eius virtute expectabantur, sed immatura morte præuentus Calataßibettæ an. sal. 1342. occubuit filium Ludouicum sub Ioannis patrui cura Regni hæredem, relinquēs. Sub Rege Petro Rinaldum Riccam nobilem militē lego: cuius tamen fœudi dominus fuerit (quos modò fœudatarios vocant, milites Regum diplomate dicebantur) inexploratum habeo. Is filiam Margaritam Guidoni Bombaroni dedit: in dotē verò octoginta auri vncias in pecunia argentea, & insupellectili quinquaginta numerauit. Veterum parsimoniam licet aduertere, & eam nostrorum temporū, luxuriæ comparare: quando quæ nobili sanguine progenita minus decem aureum milibus attulerit in dotem, inopiæ notatur. Sub eodem Rege Netinæ Consuetudines, quas in huius opusculi calce subijcie mus, cœptæ sunt literis mandari. fuit is salutis nostræ annus 1341. & habitæ sunt Messanæ 2. Iun. 9. Indict. Successit Patri Ludouicus sextum ætatis annum nondum egressus, sub Ducis Ioanni tutela cœptus educari: sic autem exposcentibus proceribus adhuc infans Panormi coronatur. Quando verò ex ornatißima adolescentis indole prosperiora in dies rerum monumenta expectabantur, ante diem properante fato Aci è vita migrauit, anno à Christo nato 1355. Floruit sub hoc Rege Netinorum pietas, & potentißima Landolinarum arma celeberrimo laudum præconio erant toti Siciliæ admirationi, & non contemnendum hostibus terrorem infere-

inferebant. Lego in quodam Nicolai Caroheni Tabellionis instrumento an sal. 1344. confecto, Diui Dominici templum Religiosæ fuisse venerationi, multis antea lustris, & non multò post à sui ordinis natali fundatum par est credere. Meminit huius Diuus Antonius historiarum parte tertia, titu. 23. cap. 13. eique nonum inter Siculos conuentus ascribit locum. Quanta autem hodie, & loci amplitudine, & Religionis cultu, & sex Priorum Prouincialium electionibus, eisque non semel habitis floreat, clarius est, quàm vt hic sit annotandum. Illud maius Netinæ pietatis decus, quòd ex eremi latebris tanta Beati Conradi famæ, & sanctitatis gratia redolebat; vt Iacobus Romanus natione Syracusanæ Ecclesiæ præsul, audita hominis virtute Syracusis ipsum coram conuenturus sit profectus; miratusque hominis parsimoniam, eloquentiã, signorum virtutem alacrior in suam sedem redierit. falsò hunc Ennechum, siue Henricum nuncupatum apud quosdam reperio, si veram temporis rationẽ subductam volumus. Iacobus enim hac tempestate, & ante mortem, & post mortem Conradi Pontificatum gessit. Duce verò Ioanne anno salutis humanæ 1348. peste sublato Netum sub Regis Ludouici ditionem venit. Ille quidem inter plurimas Siculorum procerum defectiones, & seditiones, qua iunior ætate, & viribus penè destitutus poterat, animi firmitate Regnum administrabat: Palitij tamen, genus hominum impotentissimum, vi, dolis,

varijsq; artibus non tam ad inferendam Regiæ dignitati ignominiam, quàm vt Blasco Alagonæ, penes quem summa Imperij Siculi consistere videbatur, iniuriam facerent, Netum inter alia oppida occuparunt. neque ad illud exequendum magna armorum violentia vtendum erat, cùm & Regina Elisabettha, nescio qua muliebri leuitate, ne dicam temeritate Palitiorum fautrix his motibus annueret. Expulerant Neto Palitij Blasci. Regis, imò & Iustitiæ studiosos Landolinas, familiam quidem non minus virili animo inuictam, quàm genere nobilissimam. At Ludouici nutu Rolandus Aragonius, & Ioannes Landolina, cuius illustris fuit in armis præstantia, mira fidelitas, admirandus omnium virtutum cumulus, facta valida militum manu, eoque omnibus Landolinis contendentibus, dum ciues, & contrariæ factionis viri in extremo vrbis cornu in templo Diui Francisci præfecto, eique ex Palicijs parentarent, euulsis suo cardine ianuis Netum inuadunt, semitas omnes occupant. Fauste Aragonijs & Landolinis conclamant, hostes eijciunt, ciuibus suis parcunt; & Regis nomine ipse Ioannes Vrbi custodiendæ, & in fide retinendæ præficitur. gesta sunt hæc circiter annos Domini 1349. varijs in tota Sicilia seditionibus, & bellis acriori turbine vrgentibus. Quando vel incultis ciuili odio terris, vel sectis, combustisque hostili incendio segetibus, tanta fames Siculos varijs cladibus afflictos inuasit, vt (si Maurolyco referenti credimus) nonsolùm

opes

opes exhauserint, pudicitiam prostrauerint, sed (abominabile scelus) plures filiorum carnibus hebraico, imò ferino ausu materna viscera repleuerint. O perdita tempora, o detestandam feritatem; vt in vnam diem infelicissimam vitam prorogarent innocentum sanguine, & eorum, pro quibus mori debebant, fœdissimum ventrem satiarunt. Legimus Diuum Conradum maximo tum Netinis adiumento fuisse: vt qui panibus cœlesti munere confectis aduenientes expleret. Idem tamen non multò post ad æthercam vitam vocatur indeficiente diuini verbi mensa fruiturus: quo die plura Deus ob tanti viri sanctitatem testificandam edidit miracula. Nam & Netinæ, & Hyblenses Campanæ nullo impellente defunctum lugebant, donec ipse à genibus erectus, emisso tamen spiritu comperiretur. & quamuis Hyblenses sibi cadauer expeterent, Netini euidentiori ratione sibi debitum exposcebant. Conserta pugna dimicatur: nemo tamen, Conradi precibus, quod & antea cuidam Sacerdoti ab auribus prædixerat, aut vitam, aut sanguinem, aut telũ vllum perdidit. Tum electi quaterni, qui humo sublatum sibi caperent. incipiunt Hyblenses, nec humo quidem erigere potuere: succedunt Netini, & leuius pluma feretrum in vrbem reducunt, ingentique, vt par erat, gaudio in Diui Nicolai deposuere: vbi plurima miracula sunt conspecta, multis à varijs morborum generibus liberatis. Quod, & ad hæc tempora facere non desistit. Meminit Conra-

di Fazellus, meminit Maurolycus, meminit Lucius Marineus epist. lib. 5. Dormijt in Domino vndecimo Calen. Ianu anno sal. 1351. vel (vt quidam scribunt) 1350. Oritur differentia, quòd alij à Cal. Ianu. alij verò ab octauo Cal. Apr. anni exordium auspicantur. lego eodem anno Neti iura dixisse Bartholomæum Barbilatum iudicem. quæ familia multis seculis clarissimè floruit: nunc autem est extincta. Dum verò Ludouicus ciuitates, & oppida, vt primùm per ætatem licuit, ex officio, & rerum necessitate obiret, Netum profectus est: vbi Regio honore exceptus aliquantisper quieuit in Saloniæ domibus, vt perhibent, hospitatus, & multas ciuibus concessit immunitates, eorumque fidelitatem gloriosis laudibus extollit, vt eius diplomate constat, anno à Christi Natali 1353. dato Neti. hinc Catanam reuertitur. Cùm verò non deessent seditiosi ciues (quorum nostra ætas huberiorem producit segetem) qui ex maligno liuore certorum hominum inimicitias fouendo in patriæ exitium ruerent, & fœdam proditorum notam sibi inurerent, multa adhuc mala machinabantur. Ab hac hominũ fæce Simon Claramontanus solicitatus noctu Netum cum multa armatorum turma accedit. fortè sopitos portarum custodes inuenit, quos tamen magis à coniuratis seductos opinor: tacitè ingressus semitam maiorem, quæ vrbem mediam diuidit, Claramontanis felicia imprecatus excurrit, & ad vsq; Diui Francisci Cœnobium victoris strepitu proficiscitur.

scitur. At Ioannes Landolina nec sibi, nec ciuibus suis vnquam deficiens, vbi tumultu excitatur, animo non destitutus milites suos, reliquosque Netinos ad arma vocat: qui repentino casu perculsi ferociores in certamen insurgunt: hostes clamando, & cædendo insequuntur: adeoque viribus valuere, vt aduersarios, quasi victores, capto oppido gloriabundos, cæsis 150. & sine sepulturæ honore è vastis rupibus deiectis, Simonem cum quibusdam paucis in fugam verterint. Complures capti pœnas, vbi illuxit, in aere astrictis faucibus in Diui Nicolai Campo luerunt. Quo autem anno Ludouicus Netum venit, condita est ad Ionij maris littus in agro Netino ab oræ maritimæ custodiam, & aduersus Hyblenses turris, cui cognomentum est Sta in pace. fuit olim hoc apud Netinos familiæ cognomen. Et quoniam huius turris condendæ author fuit Blascus Alagona, eius auspicio tribuitur, & eiusdem stemmate decoratur. Redeo nūc ad Ioannē Landolinam, qui primus censetur inter proceres illos, qui cum Artale Alagona Blasci filio, viro quidem belli clarissimo, Rogerio Theutonico, Gerardo, & Gulielmo Spataforis cum 150 equitibus, & 250. Cataphractis de sexcentis Claramontanorum equitibus Felicem victoriam retulerunt, cùm plures, Artalis præsertim brachio, occiderint, multos ceperint, reliquos omnes fuga auerterint. Contigit hæc pugna apud Leontinos, dum Artales Syracusis Catanam proficiscitur. Nec defuit in multis

aliȷs

alijs inuicta Landolinæ præstantia, quò res exigebat, vel Regis obœdientia desiderabat, auxiliares copias ducebat, & quidem promptißimè.

Defuncto fatorum festinatione Ludouico in ipso adolescentiæ flore absque liberis Fridericus frater subrogatur: sed qui mitiori fuit ingenio. & hebetiori mente, quàm vt inter tot procerum, & ciuitatū dissidia tanto Regno præficeretur, nam & simplicis, & auriti cognomen ignaua quadam socordia, et stulta credulitate est assecutus. fideliorum tamē heroum consilio adiutus multa prosperè gessit: & in dies meliori fortuna fuisset vsus & prudentiori rerum experientia instructus, nisi morte præuentus an. sal. 1368. & vitæ, & Regno concessisset, quamuis 1378. scribat Maurolycus. Nec minus autem sub Ludouico, quàm sub Friderico fratre fidelissima Netinorum constantia, & integritas innotuit. nanque Henricus Rubeus, qui plura per proditionem oppida sibi occuparat, vbi eius Messanenses exosi procacitatem defecere, omnesque penè Rubeos trucidarunt, hic infremens, & indignabundus vltionem meditans Netum acceßit, multisque propositis præmijs Ioannem Landolinam præfectum in suam coniurationem adducere conatur. Sed vix illum istam blaterantem ciues audire paßi sunt, frustrato aduentu redire compulerunt, & in sui Regis, quamuis omnium procerum contemptui exhibiti fide perstiterunt, existimantes hanc esse subditorū integritatem, vbi maximè superiores aduersis re-

bus quatiuntur, in fide constantissimè permanere. Quod & Fridericus fratris, aliorumque Regum priuilegia Netinis confirmans apertissimè profitetur. Conseruatum apud magistratum diploma vidimus. Quamobrem inter oppida, quæ Friderici ditioni subessent, dum cum Aloysio Neapolitanorum Rege, tunc & ipso Siculorum improbitate Siciliã infestante, inducias paciscitur, Netum inprimis annumeratum est. Idem igitur Ioannes Landolina maxima vir integritate, & armorum peritia, Friderici etiam Regis consiliarius, dum à rebellibus hostili clade vastantur agri, pro tutiori Netinorum, earumque opum, quæ extra mœnia essent, munimine, & custodia ad sextum ab vrbe lapidem ædificandã curauit arcem, quod Castellucium nominarunt: vbi milites in præsidio dispositi ab occidente & Aquilone Netinos agros ab hostium incursionibus tutarentur. Et quoniam in alieno solo (fuerat enim fæudum Comitis Matthæi Palitij iam rebellis) quamuis in Netino arcem illam fuerat molitus: veritus, ne Palitij hæredes locum, & Castrum, tanquam sibi iure debitum quandoque gratis reposcerent, à Friderico obtinuit, vt siquando prædium illud à Curia Palitijs restituendum decerneretur, iusta æstimatione præuia sibi propter expensas satisfieret, ne publicæ vtilitatis caussa factum in authoris detrimentum, & damnum verteretur. Datæ sunt literæ Catinæ an sal. 1356. mense Decembri: quas Vassallus, & Syluius Ioannis filij Pargomeno exscribendas

das curarunt, an. 1396. mense Februario. sub Regibus Martino, & Maria. Non desistebat solertissima Ioannes Vigilantia locis omnibus, tanquam alter Argus, prouidere: nulli labori parcens, nullum periculum defugiens. præsens vbique, & semper firmior erat, quò Regium negotium euocaret. Vbi audijt Rolandum Aragonam in expugnatione arcis Caßibilis, quæ à Claramontanis detinebatur, laborare, eò confestim cum suis militibus contendit. Vbi tamen eundem iam rerum potitum comperit, Andreę Taranto, communi hosti, qui Ludibrio Syracusis expositus meritas pęnas luit, aurem, & maxillam abscidit, & in victoriæ signum Netum detulit. Vnde discedere ne latum quidem vnguem solebat, nisi Regis iussu aliquò arma vertenda essent. Cùm autem Regius exercitus Leontinos obsideret, eò Ioannes Landolina cum tricentis equitibus Neto profectus auxiliares Friderici copias auxit. Soluta tamen obsidione Claramontani iniurias vlturi Netinos agros populantur, ad arcem Castelluciu̇m insidias tendunt. Cumq́ue eousque Ioannes Landolina progressus hostes sequeretur, in subdolas eorum insidias delapsus plexus est capite. Tum Artales Alagona re cognita Netum se contulit, Netinos pro concione consolatus, & à rebus pro patria, & Regia fide fortiter gestis collaudando ad earundem virtutum perseuerantiam hortatur, eisque Manfredum Alagonam fratrem pręficit: cuius legibus plurimos annos imò, & adhuc Netini sunt

vſi, vt in Curiæ Gazophilacio legimus. Mortuus eſt Ioannes anno à Virginis partu 1358. Condiderat paulò antè teſtamentum die duodecimo Maij Decimæ Inditionis: apertum eſt à Caradonna eius vxore pridie Idus Iulij eiuſdem anni. elegerat ſibi ſepulturam Neti in Diui Franciſci: legauit Bartholomæo filio fæudum Maucinium, Burgium, Pachynum, Salinas, quas emerat ab Vrſino: item Salinas, Marſam Moriellam, Runetum, quæ à Regis munificentia in laboris præmium obtinuerat, necnõ & Cammaratinum, quod paterna hæreditate poſſidebat: Vaſſallo autem filio legauit Frigintinum, Grampolum, Charciciram, in eiſdem tabulis agitur de alio Ioanne Landolina, & Gulielmo Landolina conſanguineis. fatetur ibidem plurimum è ſua pecunia in Caſtellucij ædificium impendiſſe. hoc teſtamẽtum à iudicibus excribendum impetrauit Rinaldus Landolina miles, menſe Septembri anni 1451. Sub Friderico claruiſſe lego Bartholomæum Barbilatũ magni nominis Phyſicum. Anno ſalutis humanæ 1368. Quinto Cal. Mar. Netinis per Syndicos, & procuratores ſuos Andream Chilò, & Henricum Prouenzanum ab eodem Rege Meſſanæ tum commorante priuilegij confirmationem obtinuerunt, quod Ludouicus prædeceſſor conceſſerat: etenim fideliſſima Netinorum opera multis in bellis, ſeditionibuſque comprimendis vſus cùm Neti adeſſet, publico diplomate officioſa eorum obſequia commendauit, in omni fortunæ ſtrepitu Regibus præſtita.

Fauerant

Fauerant enim, integramq; operam præstiterant, & ipsi, & fratri Friderico, non parcendo rerum, bonorumque iacturis, personarumque periculis. ea Regis Ludouici laudatione Netinorum ciuitas famosa & celebris appellatur. Cumque Regiam maiestatem excoluissent, & pro eius defensione multiplicem, & opum, & vitæ iacturam fecissent, in testimonium puritatis, & fidei Regiæ maiestati seruatæ à solutione iuris tricesimæ, & sexagesimæ, quæ alijs officialibus pro caussarum, & litum agitatione soluebatur, pereniter exemit, & perpetuò liberauit. Tandem sub quatuoruiratu (qui magistratus est vrbi annuus) Ioannis Cappelli, Prudentij Bellassai, Bartholomæi Cassini, & Rinaldi Arnolfi priuilegia hæc à Ludouico, & Friderico Regibus habita excripta sunt, anno Domini 1402. 3. Ian. decimæ Indi. Idem Martinus Rex confirmandum duxit, Catinæ 14. Martij 15. Indi. 1406.

Mortuo Friderico, mense Iulio, prædicti anni 1368. adhuc Netum à Manfredo Alagona præfecto detinebatur, vsque ad Martini Regis aduentum, cui vnica Friderici filia, & Regni hæres data est nuptui: dicebantur ad Manfredi libitum iura, quemadmodum ex antiquis huius vrbis processibus constat. Huius an. sal. 1381. 24. Ap. Iurati Rinaldus Barbilatus, Antonius, Vrsus, Ioannes Cappellus, Iacobus Leantius persuasere, (quod & lege cautum est) ne deinceps molæ aquatiles, quarum erant tunc temporis 12. modò verò plures viginti,

ex albis lapidibus fieri permitterentur propter faciliorem eorum corruptionem. decretum est, vt deinceps nigris cotibus, quæ diutius conseruantur, & in puluerem farinæ immiscendum non deminuuntur, vterentur. Idem Castelinm, quod inferius nominamus, in edito quidem, & natura vndique munitissimo loco sibi ædificandum locauit, an. Dom. 1384. nec omnibus tamen membris absoluit: nam interea an. sal. 1391. (vt rectissimè omnium scribit Abbas Messanensis) Maria Regina legitima Regni hæres in Siciliam cum viro Martino, & eiusdem nominis Socero reuersa est, à quibus Manfredus fraternā temeritatem secutus defecit; Neto tamen, vel eo inuito, in Regia fide permanente: vnde compluures à Maria, & Martinis Regibus gratias impetrarunt, & per multa priuilegia Regiæ celsitudini fideles nuncupantur. Antea verò quàm Maria Regis Friderici filia in Hispaniam citeriorem Martino in matrimonium collocanda asportaretur, Arta le Alagona, sub cuius tutela tenebatur, & à quo è sacris vndis fuerat suscepta, Vicarij munus obeunte, & ipsa iustis de caussis sustulit à Netinis officiū cui baiulatus erat nomen. multæ enim dicebantur rapinæ, plura furta, & alia scelestiora flagitia committi, dum nocturnarum excubiarum excusatione improbi viri vrbem more latrunculorum excurrerent quod in plærisque oppidis fieri incassum nonnulli dolent eius autem loco patritiatum instituit: qui honestiori dignitate præfulget, et nobilioribus,

pru-

prudentioribusque viris annuo munere concessus multis litibus tum rusticis, tum vrbanis dirimendis deseruit. Grauia quidem Mariæ literis in huius ciuitatis laudem prædicantur: dum fatetur se puram, & synceram fidelium Netinorum pietatem, tum erga Serenissimos Reges prædecessores, semper præstitam, tum etiam in seipsam perspexisse: & subinde de clara Netinorum integritate non malè merituram pollicetur. Conseruatur à Senatu cum alijs diploma datum Catinę, an. sal. 1384. 20. Ianu. liceat hic interponere vetustam, & honestam, quãuis summo loco nõ natam Littararum familiam sub Mariæ tempora me agnosse. nam apud acta Ioannis Mariscalci Netini tabellionis comperio vnum ex testibus Marcum Littaram in quadam Procuratione ab Imperia Balda fœudi Billudiæ domina constituta mense Nouembri, an. sal. 1385. hasce ædes habitabat, quas post longam maiorum nostrorum possessionem, post meum in eisdem Natalem, post flebilem, & semper mihi lugubrem carissimi fratris Petri Littaræ Chirurgi mortem inter Diuorum Thomæ, & Christophori templa sitas tandem alienauimus. Cæterùm lacrymas coercens, & infelicium temporum calamitatem alibi deploraturus, cõtextum sermonis præstituti non derelinquam. Dum Belingarius Turigles, & Guascus Queraltus in Sicilia adessent Martini Ducis, & Reginæ Mariæ procuratores, ad suscipiendam omnium Siculorum fidem, & obædientiam missi: Netini legarunt Anto

Littara familia

nium Barb latum, & Nicolaum Saloniam Syndicos, & oratores, qui & fidem vniuersitatis nomine iurarent, & ab eisdem omnium priuilegiorum confirmationem peterent, quod & concessum est Messanæ; die 25. Feb. 1390. Curarunt transcribendum 6 Mar. 1391. ijdem Syndici. Publica huius instrumenti fide admoneor non rectè scriptum à Fazello, & ab eo, qui quamuis limatiùs, Siculas Constitutiones, & Regum historias accommodauit, vbi Martini, & coniugis in Siciliam aduentus quarto anno superius assignatur, cùm Drepani appulisse, & regnum auspicatos an. sal 1386 tradãt. Rectiùs sanè Maurolycus, qui nostræ opinioni astipulatur. Posthæc igitur in Siciliam venerunt, & vnà regnare incipientes Martinus iunior, & Regina, ascito in Regni consortium Martino patre, procerum diffidia tollere, insulam à furtis, & rapinis defendere, & Regiam dignitatem tueri conati sunt. Multa (vt de alijs taceam) Netinis priuilegia, & immunitates concessere. Inter alia, ne vrbs ipsa alicui principi quouis pacto donetur, neve per alios, quàm per Reges ipsos gubernetur, quòd ab emporio Vindicari, alijsque locis tum fruges, tum legumina, tum omne genus mercis nihil cuiquam vectigalis pendentes extrahere possint. Rata, & firma haberi voluerunt cætera aliorum Regum priuilegia, quibus Netinæ ciuitati ob præstitam Regio imperio fidelitatem, & opem aliquid immunitatis cõcesserint. Addiderunt, nequem inuicti hospitio cogeren-

gerentur, nisi cùm Rex ipse Netum venire t.(optimum, & pretiosissimum omnium priuilegium si nostrates semper obseruandum curassent. O fortunatos nimiùm, bona si sua norint, Netinos.) eorum, qui Reipublicæ curam gerunt, officia annua fore. Vidimus nos diploma datum Panormi die quinta Iunij 15. Indit. 1392. Eodem anno Catinæ, concesserunt posse Netinos ex Vindicari, & Puzzallo extrahere frumentum, & nauigia onerare non soluto ex tractionis (vt vocant) iure, dummodo mille saggmata quotannis non excedant. Contigit interea, vt Petrus Anghessa Ciuis Netinus à Regibus ex certa caussa Syracusas fuerit relegatus, præstita centum auri vnciarum fideiussione, ne illinc recederet. Fideiusserunt Ioannes Cappellus, & Franciscus Cacciaguerra. Petrus autem, vt erat animo seditiosus, & subdolus, exilij impatiens Syracusis ad Regis rebelles vltro se contulit. quod mox, & Franciscus Cacciaguerra, & alij eiusdem sectæ coniurati fecerunt, eosque improbissima suggestione commorunt, vt admotis copijs Netinam vrbem à Regum ditione surriperent. Præmissi ipsimet ciuium animos tentabant, multaque scommata, & conuicia in Reges iactabant: vt tandem odio, & contemptu in eos suscepto, solicitatis Netinorum voluntatibus Vrbem proderent. at tota Ciuitas contrarijs votis accincta Rinaldum Landolinam Regium militem, & consiliarium elegit qui seditiosos viros, & factiosos ciues armata manu ex vrbe expellerent.

Hic,

Hic quemadmodum, & reliqui Landolinæ, suis principibus fidelissimus, viriliter, & strenuo animo proditores in medio vrbis foro adortus coegit excedere, & per ignotas vias exilire, donec ad hostes, & sui similes homines proficiscerentur. Fisco addicta sunt bona proditorum per Iacobum Aretiū à Secretis Martini Regis: Petri vades soluere iussi, & Francisci domus sub hasta venditæ: erant domus sex cum horto, cisterna, & porticu in Zisichiorum regione. quæ omnia Rinaldus Landolina ab eodem præstinauit auri vncijs triginta, tarenis decē, an. sal. 1394. Confirmata est à Rege possessio, 1395. Quamuis autem Franciscus Cacciaguerra à legitima sui Regis obœdientia discesserit Antonius tamē Cacciaguerra perstitit in fide integerrimus, & ab eisdem Regibus, vt par erat, commendatus, & ornatus inuenitur. probauit Coram Martino, & Maria possedisse supra octoginta annos fœudum Catatausum. & quoniam varijs ciuium seditionibus, & populorum bellis priuilegia amiserat, ab eisdem iustis de caussis adductis eiusdem prædij confirmationem obtinuit, an Dom. 1395. Quibus in literis maximè Antonij fides, & integritas commendatur, non solùm per generalia verba, quæ vulgò in similibus priuilegijs apponi solent, sed etiam particularia: quòd Ciuitatem Netinam quàm fidelissimè rexisset, & conseruasset, à facinorosoque improborū hominum tumultu illæsam defendisset. Hoc fœudum peruenit ad Guidonem Cacciaguerram prædicti Antonij

tonij

tonij nepotem, qui hoc Martini priuilegium excribendum curauit, & confirmandum sub Alphonso, an. salutis 1418. Inde successit Aurelia mater Ioannis Barbilati, primi ex Netinis Billudiæ Domini. Et hic prædictum priuilegium excribendum, & confirmandum curauit sub eodem Alphonso 1453. pendebat Regi quatuor auri vncias, Balistarij pedestris mercedem. Huic successit Mutius filius, cui sunt eadem confirmata, an. Dom 1456. Mutio Ioannes Barbilatus, qui curauit confirmanda priuilegia Billudiæ. & Catatausi sub Ferdinando Catholico, 1499. lego insuper eadem confirmata Ioanni Barbilato sub Regina Ioanna, & Carolo filio, an. salut. 1517. Nec tacebo Mutium filium Lucretiæ filiæ Baldi Syracusani, quæ Ioanni Barbilato in dotem Billudiam attulerat, sub Rege Ferdinando, an. salu. 1480. eandem confirmationem obtinuisse. Nunc ad Martini historiam reuertor. Sub eadem tempora Gulielmus Ramundus Montecatinus Comes. Augustæ donauit Rinaldo Landolinæ Netino Militi, & Consiliario Regio fœuda Villiscaram, Binuinos, & Burgium, donatione libera, & vt eis sua sponte possit vti, & alienare, Catinæ, an. Dom. 1395. Cal. Decembris, quartæ Inditionis. Quam donationem Reges Martini filius, & pater confirmarunt, latissimè eo priuilegio declarantes quanta Rinaldus vigilantia, noctu, diuque armis indutus Regibus inseruierit, & Netum vrbem inter multas rebellium seditiones, fidelissimè, & sub legitimi Regis obseruationem

uationem firmissimè custodierit. habitum est Syracusis à Christo nato annis 1393. Mense Nouembri, fuit quidem Rinaldus toti Siciliæ charissimus, & dignus existimatus, qui maximi ponderis negotijs gerendis præficeretur. Electum proceres voluere vnum è sex iudicibus, qui cũ totidem à Martino electis (vt Siculæ Constitutiones testantur) secum conferrent, & certo arbitratu deciderent, quænam oppida Regia essent, quæ verò certis dominis ex bonæ fidei acquisitione subijcerentur. Floruit, & eadem tempestate Mutius Landolina Martino, cui à secretis inseruijt, à rebus, & domi, & Militiæ præclarissimè gestis commendatissimus, vt multis eiusdem literis clarissimè liquet. Huic Mutio, simul et Henrico Statellæ, Simenio Cerdæ, Bartholomeo, & Vgoni Ricciulis, Cõsiliarijs Regijs dedit Castrũ Mungelinum, quod Fazelus à Plinio vocatum scribit Magellinum, cum omnibus eius fœudis, & iuribus, olim datum Gulielmo Ramundo Montecatino iam rebelli: ita vt venditum bipartito diuideretur: alteraque pars Regi persolueretur, altera verò eorum esset, quibus est donata. Subinde venditum est Henrico Statellæ, vni ex socijs: dimidioque Regi persoluto, reliquum cæteris est dilargitum. habita est donatio die primo Decem. an. salut. 1397. Nec multò post Orlandus Trauersa à Rege Martino defecit eundem Montecatinum secutus, & Antoniũ Vigintimilium Comitẽ Collisani quapropter Martinus ablatis eorum opibus prædium in agro Netino

no dictum Timugni, liberè, & gratis concessit eidē Mutio Landollnæ, qui fidelissimam Regi operam præstiterat. legimus priuilegium datum Catinæ, an. sal. 1398. die 6. Maij. Quinetiam inter initia Regni Martini iunioris, plures Netini ab eo deficiendum clamabant, plures iam defecerant Manfredū Alagonam secuti, qui Vrbis Imperium sibi vsurpauerat Reginæ Mariæ pretextu, cuius obœdientiæ iam ab Artale Alagona tuendam acceperat. Mutius autem Landolina vir integra fide, & animi cōstantia per insignis Ciuitatem ad Regiæ fidei cultū perduxit. Quamobrem Martinus Rex hominis beneficium, gratumque studium agnoscens eidem, dū viueret, concessit posse singulis annis ex emporio Vindicari tantum tritici suo rure collecti extrahere quantum ad vectigal extractionis vnciarum auri duodequinquaginta ascenderet. datæ sunt literæ Catinæ, anno à Christi Natali 1392. die 16. Decemb. primo ipsius Martini Regni anno. Ab eodem Rege Iurati obtinuere, vt prætores, qui iam annuum munus confecissent, à decimonono Cal. Sept. ab officio suspenderentur, & Syndicatui subijcerentur: prætoria verò negotia per Iuratos gererentur, habitū est diploma Catinæ die 15. Aug 7. Ind. 1399.

Curarunt transcribendum Prudentius Bellassai Rinaldus Notarbartolus, Guccius Guascus, Augustinus Polinus, quatuorviri, quarto nonas Augusti, an. Dom. 1407. Paulò etiam antea Martinus filius concesserat Netinis posse ius (vt vulgato ver

bo

bovtar) baiulorum propter eorum insolentiam, & rapinas tollere, & alia vectigalia imponere, vt ea pecunia vigilibus nocturnis satisfieret. Datum Catinæ 13. Iun. 1399. Iam fuerat hoc olim à Regina Maria impetratum, sed propter eorum peruicaciã, qui hec officij gerebant, adhuc persistebatur, donec Regia sanctione prorsus aboleretur.

Floruit sub hac tempestate Frater Ioannes Ricca, Ordinis Minorum, Sacræ Theologiæ professor, & generis nobilitate clarissimus quem eundem esse censemus qui ab Angelo in Summa frater Ioannes à Neto (vt regularium est consuetudo) appellatur, & eiusdem commentaria in magistrum sentẽtiarum, vbi de confessione loquitur, citantur. Hic ad Reges Martinos, & Mariam legatus confirmata habuit superiorum Regum priuilegia, & immunitates Ciuitati Netinæ ab alijs concessas, quæ autem ibi sanxerint, hæc inter alia capita subscripsimus. Omnes officiales per Ciuitatis Scrutinium fiunto A portu & emporio Vindicari possint singulis annis mille tritici sagmata extrahere: quorum quingẽta sint ab omni onere immunia, pro reliquis verò soluant Regio Aerario solitas portuum pensiones. Ciues Netini in alijs Ciuitatibus, & oppidis, præsertim Syracusis, & in Motycano Comitatu nec ciuili, neque criminali causa cogũtor: nisi quemadmodum Neti obseruatur, & quemadmodum alij Ciues in Vrbe Netina Coram Magistratu in ius vocantur, & coercentur. legimus nos diploma datum

Syra-

Syracusis, anno à Virginis partu 1396 die 17. Nouem. Omnia hæc Pargomeno excipienda mandarunt Quatuorviri Nicolaus Simonetta, Pinus Leantius, Antonius Carobenius, & Martinus Adenolphus, an. Dom. 1402. die 10. Nouem. Idem fecerunt Petrus Carniliuarius, Pinus Leantius, Franciscus Cappellus. Bartholomæus Guascus, à Christo nato, 1423 pridie Cal. Decemb. Iurati verò Guccius, Guascus, Antonius Notarbartolus, Nicolaus Alfanus, Rinaldus Ribaldus Pargomeno exceperunt literas Martini de extrahendis quingentis tritici sagmatis nulla soluta pensione, 1410. 3. Decem.

Regiæ munificentiæ non immemores Martinus Adenolfus, Accardus Maiorana Ioannes Pulichinus Syndici. & legati Netinorum petierunt à Rege Martino immunitatem, & exemptionem iuris, & vectigalis, cui vetus nomen est Dohanæ, quoties aliquid terra, mariq́ue exportarent. Ille verò, prout suo diplomate profitetur, non ignarus, quanta Netini pro Regibus in varijs præsertim bellorum, & seditionum motibus subierint. pericula, quantūq́ue fideliter Regiæ obœdientiæ in omnibus se gesserint, rebelles expellendo, & persequendo, Regem militibus, opibus; commeatu adiuuando libentissimè concessit. literæ habitæ sunt Catinæ 16. Aug. 1401. licèt autem Martinus Rex declarauerit Netinos ab omni iure, onere, & vectigali Dohanæ prorsus immunes: tamen propter publicanorum improbitatem, qui ob varia in arte negotiandi nostratium

tium, lucra, plurimum sibi quæstus decrescere videbant, nonnullas passi calumnias Netini rursus Regem adeunt, Regia liberalitate frustrari conquerũtur. Ille verò integræ fidelitatis, & officiorum non immemor priuilegia confirmat, pœnas, & multas irrogat, nequis huic concessioni derogaret. Datæ sunt literæ Catinæ anno Domini 1402. die 12. Iulij, eas membrana excribendas Prudentius Bellassai, Ioannes Cappellus, Thomas Cassinus, Rinaldus Adenolfus, Iurati, eodem anno 7. Cal. Sextiles. Antonius autem Carobenius, Pinus Salonia, & Ioannes Pulichinus Syndici, & legati prædictorum priuilegiorum confirmationem, præsertim pro Ciuitatibus ad ipsius Reginæ ditionem pertinentibus, quæ vulgò Cameræ Reginalis dicuntur, confirmationẽ impetrarunt. Datum est diploma Catinæ, die 8. Maij 1404 quod exceperunt diuturniori filio iurati, Pinus Burgensis, Rinaldus à Græcis, Ioannes Longus die 10. Apr. 1425. Huius tandem benignitatem secuta Maria vxor Alphonsi, Netinorumq; benemerita attendens eadem Martini, & Mariæ priuilegia confirmauit, quibus cauetur Netinos à iure Dohanæ immunes fore: Impetratum est per oratores Antonium Notarbartolum, Ioannẽ Landolinam, Ioannem Campianum, V. I. D. Datum est diploma Valentiæ die 23. Mar. 1424. Netinorum etiam diligentia obtentæ sunt literæ à Rege Martino Catinæ, die 5. Iulij, an. sal. 1408. vt tertia quaque pars prouentuum, & redditaum fœudorũ

ab

ab Isimbardo Comite Monasterio ab Arcu legatorum in eiusdem Monasterij fabricam, & reparationem expendantur. Reclamantibus autem quandoque Abbatibus, & ijs, qui pecuniam ex agris conductis exigebant, earundem obseruationes obtentæ sunt ab alijs etiam Regibus. Vidimus nos Regis Martini manum, necnon & Ioannis Infantis, qui primò pro Rege non multò post Rex ipse Siciliam tenuit: quique, vt Alphonsus, Nicolao Speciali Prorege, anno Domini, 1423, multò ante easdem literas sæpius confirmarunt. conseruantur omnia diplomata tum chartacea, tum membrana excripta in Netini Senatus Archiuo. Præterea Bartholomæus Chirurgus, Antonius Notarbartolus, Antonius Adenolphus, Goffredus Ligorius has Martini literas de eadem expendenda, & eroganda pecunia Pargomeno exceperunt, an salu. 1408. die 12. Iulij & quoniam eadem de caussa obtentæ sunt literæ à Ioanne Siculis pro Rege præfecto, eas, & Martini excribendas mandarunt Iurati Bartholomæus Chirurgus, Rinaldus Notarbartolus, Bartholomæus Barbilatus, & Conradus Ligorius à Christi Natali annis 1421.

Erat olim extra mœnia propè vrbis Isthmum templum Diuo Iacobo Sacrum quod exinde Carmelitis datum cum Diuæ Mariæ à Gratia nomen mutauit. Solebant festos Iacobi dies celebriores agere: vnde & nundinas a Martino Rege impetrarunt. habitum est diploma Catinæ die tertio Iulij

anno à Virginis Partu 1408. Vnde hæc verba excripsimus. Considerantes integræ fidei, deuotionisq́; synceritatem, quam vniuersitas ipsa Netina, & singulares eiusdem, tum maximè cùm sæuis rebellionum, tumultuum, & bellorum turbinibus diri Martis, & Erinnys horrisonæ pullulabant incendia, circa nos, nostrumq́ue nomen, & decus illibatè rebus præ cæteris gessit, & modò gerit, interno cordis affectu, memoranda, necnon fructuosa, & grandia seruitia, quæ nobis vniuersitas ipsa multifariam contulit olim tempore acceptabili, & in die opportuno, cùm nobis opùs fuit fideles habere pugiles, & quo subditorum fidelitas liquido patuit experimento, & quæ confert impræsentiarum, & successiuè conferet, annuente Domino gratiora, in aliquam vniuersitatis ipsius præstationis mercedē, eidem vniuersitati licentiam plenamq́ue potestatē nundinas, & fora more debito faciendi singulis annis in festo, & planitie Sancti Iacobi sexdecim dies immunitatis à iure Dohanæ, ante diem festum Sancti Iacobi quinque, & decem post ipsum solennitatis diem, concedimus, &c. Hæc ibi. Diploma curarunt excribendum die ij. Iulij, anno Dom. 1413. sub Ferdinando Iurati Simon Auola, Nicolaus Vassallus Tancredus Pipis, Gulielmus Ribaldus.

familia Sortin.

Sub Rege Martino, & Maria Sortinos nobilissimo genere natos Netum venisse comperimus. Dederant vterque Martinus, & Regina Maria Gualdetto Monticlupo Vasconi sex fœuda in Netino

Ruuettum,

Ruuettum, Bimiscam, Dibibinin, Rendam, Billudiā, Maccharim, necnon Galermum, & Rabalbiatum in Leontino, quæ ille Regio permissu vendidit Mainitto Sortino auri vncijs 625. an sal 1396. die 28. Decem. Palatioli stipulante Antonino Cappello. Quam alienationem, & emptionem confirmarunt Martini, & Maria 1397. die 7. Maij. erat quidem Mainittus tunc temporis vt ditissimus, ita nobilissimus: vt qui ante horum fœudorum emptionem miles (quod nobis baro, vel fœudi dominus, sonat) vocaretur: licèt huius fœudi nomen habeam incognitum. Posthæc Netum habitatum venit, vbi Illustres posteros & togæ, et militiæ clarissimos adhæc vsque tempora perduxit. Testatus denique est Neti integer & mente, & corpore an. sal. 1445. electa in Diui Francisci sepultura: suscepit ternos liberos, Matthæum, Ioannem, & Rinaldum: Matthæo verò præmortuo superstes fuit filius Seruator. huic auus legauit Bimiscam, & Macharim: Ioanni verò filio Dibibinin, & Billudiam: Rinaldo autem Rendam, & Ruuettum. Iussit inter alia ad pias caussas legata, vt hæredes in sarcta tecta Diui Nicolai vigintiquinque auri vncias erogarent: quæ postea sunt adimpleta an. sal. 1457. vt literæ authorum Rinaldi, & Gulielmi, necnon temporis nomenclaturam præ se ferentes in ipsa testudinis margine explicāt. Idem Rinaldus Mainitti filius sub Alphonso, præsidente Archiepiscopo Panormitano, Panormi die 28. Ianua. an. sal. 1453.

 confir-

confirmanda sibi curauit hæc fœuda Ruuettum, Maccharim, & Rendã: suscepit duos filios Antoniũ, & Albanũ: Antonius superstitẽ habuit Rinaldellũ baronẽ Maccharis. Notat Angelus laurifex Rinaldũ Petri filiũ baronẽ Ruuetti 1502. qui biẽnio post decessit sine liberis & successit Nicolaus frater.

Fato functa est Regina Maria anno Domini 1402. Cui Martinus coniux successit, qui in Sardinia 1409. occubuit: huic Martinus senior subrogatur Regnum tamen gubernauit Blanca Secunda Martini iunioris vxor. anno postero decessit è vita Martinus pater. Biennio interregnum passa est Sicilia, donec post multas contentiones, Diuus Vincentius, vnus tunc ex nouem arbitris communi partium consensu electi Ferdinandum cognomento Iustum, vnanimi omnium approbatione, nulloque ex competitoribus reclamante, Aragoniæ, & Siciliæ Regem pronuntiauit, anno à virgineo partu 1413. quarto tamen post anno ad superiora cælorum regna est vocatus, Alphonso primogenito Rege designato.

Sub Martino, & Maria fratrem Benedictum Aquilam Netinum abbatem monasterij ab Arcu inuenio. Floruit sub eisdem Ioannes Thamagninus clarissimus Medicus, & Astrologus, cuius multæ prædictiones vulgò circunferuntur. Dicitur sub certo siderum aspectu ferulaceum piscẽ effinxisse, & cuidam nautæ amico dedisse: ad cuius iactum sagenas semper piscibus refertas reduxisse: eo tamen

Io: Thamagninus

men quandoque amisso, alterum efformandi occasionem non processisse. sub quarundam stellarum intuitum solum, & imprudenter ferunt pronuntiasse, horam iam esse, qua quis puellæ iam diu concupitæ facillimè potiretur amoribus: quod quidem adolescens clanculum excipiens verum expertus est: postridie ampla munera misit ad vatem, qui caussam sciscitatus factum conquestus est, & de sua imprudentia silentio pœnas sumpsit. per forum, & veterem Seruatoris ædem pertransiens multas auiculas de more garrientes est conspicatus. prædixit astantibus ad vesperam fore, vt ancilla triticum ferens caderet, & volucres derelicta grana collecturas iã multò antè cantibus gestire. Quod plenè euenisse referunt. aiunt, quòd mortuus à monacho, qui iam suspendendus esset, dandus esset sepulturæ. quod multi factum affirmant. Aduenerant mercatores quidam sues empturi: proponitur ioci caussa ab otiosis quibusdam, & curiosis alienarum rerum Thamaguinus quem creduli mercatores conueniunt, paciscuntur, sues, quibus nil grandius, nec pinguius vidisse fatebantur. numerata pecunia vnà cum Subulcis accipiunt. vbi tamen nocturnæ tenebræ aduentarunt, magno excitato grunnitu & sues, & subulcos effugisse vident. pauidi magis, quàm turbati reuertunt, factum conqueruntur, & à venditore repræhensi pecuniam recuperant. Memoria item proditum est nautas quosdam nescio quam mercem in vrbem importasse.

portasse. hos aliquis monuit apud Thamagninum dignum re pretium habituros, vt qui diues esset, & eis rebus emendis delectaretur. credunt istis onusti hominem adeunt: qui ciuium suorum iniuriam, & ludibria illusurus iubet ad vesperam redire: interea plurima siliquarum folia colligenda mandat, & eis niueo aspectu argenti formam præ se ferẽtibus, & facillimè oculorum aciem decipientibus multũ mercium fecit compendium. lætantur nautæ comparato lucro, rem amicis exponunt, qui præter opinionem euentum contigisse mirabantur: sed cum ad litus peruenerint sarcinas suas commodiùs dispositu ri non argento, sed frondibus mercem mutasse cognorunt. tristes & ægri lugent, citato cursu, plurimoque anhelitu fatigati regrediuntur: & tandem à Medico suas opes recipiunt: qui artem arte eludens ostensum voluit posse, si caderet in votum, auro & opibus locupletiorem esse. Decessit sine liberis, & philosophico more constitutis ad pias caussas quibusdam legatis Rempublicam fecit heredẽ, mortuus est anno salutis Christianæ 1411. & in Diui Nicolai sepultus: vbi hactenus eius tumulus fuit conspicuus, donec præsulis iussu demitteretur. incisum ibi hoc Epitaphium Ioannis Aurispæ opus legimus.

Naturam rerum, cælos qui nouit, & astra,
Et multis cecinit, quæ sua fata, priùs,
Hoc Tamagnini Domini tegit ossa Ioannis:
Nam mens se iunxit, venerat vnde, Ioui.

Mille,

Mille,quater centum,denus fuit annus, & vnus,
Christicolis, cœli cùm rapuere virum.

Ioannes igitur Aurispa,vir quidem omni scientiarum genere eruditus,& per totam Europam celeberrimus hac etiam ætate floruit. In Italia ob facile in poetica disciplina ingenium laurea redimitũ prædicant: præclarissimis meritis à secretis Apostolicis est electus,vt Philippus Bergamus lib. 15. scriptum reliquit. Meminit eius in historijs Aeneas Pius, meminit Leander, & Christophorus Scanellus,(si liber non mentitur authorem:) meminerunt plures alij: sed temporis lapsu multi intercidunt. author supplementi Chronicorum hæc habet; Ioannes quoque Aurispa Secretarius Apostolicus Rhetor Luculentus in pretio fuit, & quædam composuit, 1446. Franciscus etiam Philelphus misit, vel missas ad eundem fingit complures epistolas in diuersis temporibus, vt ab annis Domini 1427. ad annos 1454. Nos autem multis annis præmortuum euidentiùs probamus. fuit enim Cantor (quod dignitatis officium eorum est, qui curam habent animarum) maioris Ecclesiæ, & Crucifixi apud Netinos: dumque eius procurator omnia in suum commodum verteret, hunc illi abusum cõquerens Senatus nuntiauit, & per eundem certas indulgentias pro Ecclesia Crucifixi impetrandas mãdauit. Vidimus Epistolam latino sermone conscriptam 18. Cal. Decemb. 1408. Mortuus est tandem anno salutis 1416. habentur enim in Diui Nicolai

Sacrario literæ ab Episcopo Syracusano missæ, qui Vicarium in spiritualibus præmortui annuos census exigere inhibuit. Quæ publicæ fidei testimonia pluris apud me sunt, quàm aliorum annotationes incerta, & inconstanti fama collectæ. fuisse autem virum inprimis disertum nemo est, qui neget. De eo sic Thomas Fazellus loquitur: Floruit in politiori vtriusque linguæ literatura superiori ætate Ioannes Aurispa Netinus. excelluit nanque ingenio non ad solutam solùm orationem, sed ad versus quoque componendos elegantissimò. Quo in genere nonnulla eius epigrammata, in altero verò epistolarum opus egregium, & Hieroclis liber in Pythagoræ aurea Carmina latinitate donatus, extant. Hæc ille. Sed iam Laurentij Vallæ de hoc homine iudicium subiungamus: Id dicam (inquit) quod verè possum dicere, me non tam mea voluntate, quæ ardentissima erat ad hoc opus descendisse, quàm prudentissimorum, atque amantissimorum cõsilio, cùm aliorum, tum præcipuè Aurispæ, & Leonardi Aretini: quorum alter Græcè legendo, alter latinè scribendo ingenium excitauit meum: ille præceptoris, (vni n. mihi legebat) hic emẽdatoris, vterque parentis apud me locum obtinens. paulò post. O viros omni laude dignissimos; o de literis, ac de literatis optimè meritos: non veremini, ne alij eò, quò peruenistis, (licet perquàm arduum sit) perueniant: sed hortamini, incenditis, & quasi de alto manum scandenti porrigitis. hæc ille.

Successit

Successit Ferdinando filius Alphonsus, qui inter primos sui Regni annos Nicolaum Specialem virum domi, & militiæ clarissimum, Ciuem Netinum Siculis regendis præfecit. sic inuenio iam à salutis anno 1423 apud acta Antonij Danielis Netini. De suis ille ciuibus optimè meritus omnia illorum priuilegia, & præsertim, quibus cauebatur, ne ius, & vectigal Dobanæ vspiam Netini soluere cogerentur, obseruanda mandauit. Quas literas Rinaldus Burgensis, Nicolaus Alfanus, Ioannes Lõgus, Iurati publicè excribendas curarunt die 10. Iunij. 1423. Interea Alphonsus, vt erat in alienos effusissimus, præcipuè quos honestis virtutibus ornatos explorauerat, sic & Petro fratri gratissimus Netum Vrbem Ducatus titulo donauit, cui & Platiam, & Acim adiecit, quæ sibi pleno munere possideret, & in posteros, successoresque hæreditario iure transfunderet, merumque, & mistum in omnibus illis Imperium habere licere concessit. habitum est, diploma Barchinone die 6. Iunij, 1424. Elegit interim Petrus procuratorem suum Ferdinandum Velascum, per quem tum Vrbis tum omnium, quæ ad eiusdem iurisdictionem pertinent, possessione potiretur. At vbi ille Netum venit omnia plena rumoribus, & seditionibus offendit perturbata, vniuersus enim populus audito tristis effectus nuntio, nouum Dominum detrectans exclamabat non esse alij quàm Regi ipsi parendum: vnius Imperiũ satis esse; duplicem suis humeris prouinciam non

subeun-

Nicolaus Specialis

subeundam. malè de fidelissima Ciuitate. quæ superioribus Regibus præ officij pietate fuit semper cõmendatissima, Alphonsum mereri, qui inferiori Domino habendam committeret. Quòd si Ciuitatem alteri tradere omnino Rex decerneret, ipsimet iam olim à Regulorum iugo liberati sibi eos, qui Reip. curam gererent, faciliùs deligerent. eo tumultu factum est, vt incalescente iracundia, & plebe propemodum in defectionem excitata, nonnulli Petri ministri cæderentur, neve Netini sua libertate priuati sibi defecisse viderentur, Castellum vetus adeũt, vbi Regis præsidium Petri obædientiæ excubabat: aggeres, & Vallos extruunt, tum ne præsidiarius miles in oppidum incautè irrumperet, tum, vt arce expugnata, nullum proximè timerent, qui Petri parteis secutus cæterorum periculo immineret. At cùm Petrus mari etiam præfectus in portu Syracusano triremes haberet, quas Regis Alphonsi iniu ducebat metu maioris mali, factum est, vt nuntijs vltro, citroque missis conuentionem quandam statuerint, cuius Ioannes Podius, Antonius Notarbartolus, Ioannes Pulichinus procuratores, & legati fuerunt, Pacis autem, & conuentionis capita hæc fuere. Ciuitatem ipsam Petrus, & successores ex legitimo matrimonio, virilisque prolis habento. Omnia Ciuitatis priuilegia, immunitates, & exemptiones à Regibus eatenus concessæ inuiolata permaneant, & confirmentur. Ciues Netini liberè quouis migrare possint, nullus opibus, prædijsvè

amissis, in aliisque oppidis commorati prædia, & opes, quæ Neti habebant, per se, suosve procuratores gerere, & possidere valeant. Omnes, & singuli Ciuitatis officiales habitatores, & coniugati sunto. Iidem, simul & Prætor Vrbanus, & Iudices annui sunto. Ne vnus, & idem & Castello, & Vrbi regendæ præficiatur. Iurisdictiones, & iura, prout Regiæ administrationis tempore, illæsa obseruentur. Nullum inuitè hospitio admittere, præter Regem, Regisque fratrem, Ducem Petrum, cogũtor. Sacræ Conscientiæ Iudices, quemadmodum sub Regum olim regimine, creantor. à vectigali, & iure Dohanæ, quomodo sub Regibus ita, & sub Duce Petro, negotiantor immunes. Omnes iniuriæ defectionis crimina, & suspitiones illis, qui fortè fuerint inobœdientes, & Imperiũ detrectãtes Petri ministris violentas manus iniecerint, remittantur. Hæc & alia postulata pollicitus est Ferdinandus quinto Cal. Octob. quæ 13. Cal. Nouemb. Dux ipse Petrus iure iurando se obseruaturum obstrinxit nec aliter præstitit. Sanctissimè enim, & benignissimè tanti Regis frater Netinos gubernauit: eoque sine liberis mortuo, sub Alphonsi iterum dominium Ciuitas est deuoluta. Compulit autem Netinos huiusmodi conuentionibus acquiescere, quod per legatos suos certam & immobilem Regis voluntatem præsenserant. Nanque, ne sibi deficerent, vt primùm audierunt Petrum Netinorum Ducem electum, ex altißimo sibi gradu delabi persuadentes, si superiori-

rioribus temporibus Regum, modò vero Ducum nuncupatione regerentur, confestim oratores mittunt viros Clarissimos Ioannem Landolinam, Ioannem Campianum, Antonium Notarbartolum; qui apud Alphonsum conquesti benemerita, & fidelissimam operam in alios Reges collatam recolentes, superiorumque priuilegia, quibus præsertim cautum erat, ne vrbs vlli dono largiretur, testati, Donationem Petro collatam pro viribus reuocandã curarent. Quamuis autem illi integerrimè, & disertè sua functi essent legatione: Rege tamen in sententia permanente, ne fraterno honori quicquam derogaretur, at humanissimè consolato, re infecta regressi sunt. hoc tamen vnum impetrarunt, vt pro expensis hoc itinere factis nouum vectigal auri vnciarum ducentarum, quæ semel tantùm exigerẽtur, liceret imponere. Datæ sunt literæ Valentiæ an. sal. 1424. Pridie Cal. Apr. Interea Dux Petrus fortissimam in arce veteri turrim condidit, tutissimum aduersus Vrbem propugnaculum, quæ absoluta est an. Dom. 1430. ei nunc magistræ turri cognomen remansit. ibi hoc carmen insculptum legimus.

Bis septingentos viginti quattuor annos
Egerat October Christi nascentis ab anno,
Cùm Dominus Netũ Petrus Illustrissimus infans
Gratis ab Alphonso sibi Rege, & fratre tributum
Possedit: cuius pariter mandata sequentes
Sanctius egregius miles, custodia Castri
Secretus Neti, de Vrsone Antonius ipsum

Castellum eximio vetus ornauere decore,
Fornicibusq; nouis munitum, & turribus altis.

Dum verò Ciuitas hæc à Petro Aragona teneretur, omnium penè oppidorum, & Ciuitatum publicani Netinos ad ius Dohanę, quemadmodum & cæterorum Regulorum subditos, quasi sub Petri Ducatu vetera Regum priuilegia perdidissent, soluendum cogebant. At ne in hac quidem re, Netini negotiatores sibi defuerunt, Regios officiales adeunt, ius suum dicunt, & obtinent. Quapropter Gilbertus Fares totius Regni Siculi (vt vocant) Secretus publicis literis declarauit Netinos, vt olim sub Regibus, ita & sub Duce Petro ab eo vectigalis iure, quod cæteri populi oppidorum Dominis subditi certa pensione debent, dum aliò inferũt, vel exportant pannos, telas, tergora et similia, quæ suis in oppidis sunt operati, esse liberos; satisque esse semel extrahendo à patria soluisse. Datæ sunt literæ Panormi an. sal. 1427. & ad omnium Ciuitatum Secretos transcriptæ. Curarunt eas Pargomeno ad futuram rei memoriam transcribendas Iurati Nicolaus Salonia, Bartolus Barbilatus, Ioãnes Oddo, Geraldus Parisius. Eodem anno impetratum est à Rege Alphonso, vt quindecim dierum nundinæ à Martino Rege pro festis Diui Iacobi Apostoli diebus, qui extra mœnia celebrabãtur, obtentæ, cùm iam frequentari desinerent, quibus ab omni vectigali immunis esset Neti negotiatio, in Sacrũ Pentecostes diem transferrentur, quando cele-

brior Spiritus Sancti missio in Crucifixi area recoleretur. Iussumque est tum ipso Pentecostes die, tũ octo diebus subsequentibus immunes nundinas exponi. Literis mandatum est Valentiæ, die 12. Aug. an. Dom. 1427. Ab eodem Alphonso confirmanda curarunt Netini vetera priuilegia, quibus cauebatur, vt in reparationem fabricæ Monasterij ab Arcu tertia quæque pars redditu um expenderetur. quin & contra Ioannem Episcopum Trigestinum, cui eadem ecclesia fuerat commendata, literæ sunt emanatæ: à quo nec templorum ædificijs, nec ouium pabulo præ munere studebatur. (Quod cùm
» ego octauo Conradiados libro carmine deplorarem,
» non defuere lupuli, & vulpeculæ qui idipsum ad-
» uersus præsulem meum de me aliàs benemerentissi
» mum, & cui ex animo debeo, semperque honorificẽ
» tissimè obsequi studui, & pro tanti viri meritis in-
» seruire, falsò interpretati testarentur) literas publicè notandas iusserunt Iurati Bartholomæus Barbilatus, Ioannes Cappellus, Antonius Salonia, Antonius Guascus, 7. Maij an. sal. 1426. Nec destitit Petri humanitas Netinis, vbi res exigeret, fauere. Fuerat olim, dum in varias factiones diuisa Sicilia conquassatur, infensaque rebellione mutuis armis interimitur, turris cui cognomen est, Sta in pace, aduersus Hyblenses, vt superius dictum est, à Netinis ædificata, vt è publicis Ciuitatis scripturis colligimus: & in ea militare præsidium excubabat. Cùm verò nescio quomodo sedatis iam oppido-

rum

rum tumultibus, eadem Turris sub Duce Petro ab Hyblæis possideretur: petiere ab eodem per Ioannem Prouinam, vt iterum Netinæ ditioni restitueretur. Quod & factum est. Confirmauit hic & alia Ciuitatis priuilegia in Villa Olineta Lusitaniæ, die vndecima Iunij, an. Dom. 1431. Dumque eadem Turris in Vrbis Netinæ defensionem, & oræ maritimæ custodiam extructa aliàs à Bernardo Crapera detineretur, legatus est Simon Landolina ad Ioannem Alphonsi fratrem tum Proregem, vt vniuersitati Netinæ restitueretur. Non erit à re nostra alienum referre, quemadmodum in actis Curiæ nostræ reperiam, à Bernardo Turrim subreptã. Possidebat eam quidam vir Netinus, quem Syracusis Crapera conspicatus armata suorum Satellitum manu insequitur, & fugientem eò compulit, vt si salua vita cuperet abire, Turris eius Bernardo donationem faceret. His ille angustijs implicitus annuit. Quamuis autem hoc Netini coram Rege Martino probassent, hominis tamen potentia, ne dicam impotentia, hactenus à Comitibus Motycanis possidetur.

Alphonsus, dum Messanæ adesset, die 27. Nou. an. sal. 1432. dedit Neto iure Ciuitatis, & aliarũ Ciuitatum priuilegijs gaudere. Conseruantur apud Senatum Regia diplomata. Fuerat à Regibus superioribus concessa certa quantitas cadorum tynninæ quibusdam Monasterijs monialium distribuenda: quæ pro diuersis Cœnobijs, locisque pijs sub Rege

Martino

Martino 103. Cadorum fuisse scribitur: postmodũ tamen aliquot annis à Curia fuit occupata. Alphõsus autem non minus armis, quàm pietate Illustris eandem eleemosinam eisdem pijs locis rursus erogandam iussit: & (vt alia taceam) Monasterio Sãctæ Catharinæ apud Netinos, quòd nunc est Sancti Seruatoris, quaternos singulis annis Cados donauit. Constat ex eius priuilegio dato Panormi, die 23. Nouem. 1454. Cùm autem (vt multi scribũt) Dux Petrus Alphonsi frater muralis machinæ ictu peremptus occidisset, tum, quod nullos liberos susceperat, tum Regia promißione, Netum Regi ipsi, sine vllo principum medio subijcitur. Confestim Senatus Ioannẽ Prouinã Syndicum, & oratorem misit, postulans ab Alphonso posse literas cõtra præhabita priuilegia emanatas consultare, sub inde omnia iura ab alijs concessa confirmari, Ciuitatem ipsam nec amplius alij donandam, nec pignori tradendam, sed liberam sub ipso Regum regimine, sine vllo inferioris dignitatis titulo futurum, quales Panormus, Messana, Catana. quòd si fortè alicui donaretur, posse Ciues Netinos impune se defendere, arma capere, & in suæ libertatis conseruationem cuilibet impetui repugnare: omnes officiales per scrutinium deinceps faciendos: vtque ad officia & dignitates obeundas Ciues, & habitatores tantùm admitterentur. Datum est Regium huius concessionis diploma Capuæ anno à Christi humanitate 1439. die 22. Octob. Nec multò post legatus

gatus

gatus est Antonius Landolina ad Alphonsum Regem, vt nongentas auri vncias Petro fratri à Netinis mutuo datas, necdum solutas, repetendas curaret. Cùmque prorex vellet mittere, qui in fœneratores animaduerteret, cuperetque pro sumptu centum quinquaginta auri vncias extorquere, per eundem legatum Netini supplicando fassi sunt se vsurarium Neti neminem habere, magisque vsurae iniuriam subituros, si prædictam pecuniæ summam expromere compellerentur. Per eadem tempora Baptista Platamo prorex iussit plenius obseruanda Netinorum priuilegia, quibus à iure Dobanæ adepti sunt immunitatem. Datæ sunt literæ Panormi die 12. Maij 1440. curarunt excribendas quatuoruiri Antonius Landolina, Bartholomæus Carniliuarius, Ioannes Oddo, Vassallus Specialis, die 22. Ianu. an. sal. 1442.

Paulò ante Alphonsum Regem Tancredus Pipis ex Italia in Siciliam profectus Neti habitauit; vbi ad nostra tempora nobilissimam familiam perduxit. fuit Tancredus Alphonso gratissimus: ciuis autem Netinus effectus aliquot à Rege (tanta erat eius in Tancredum beneuolentia, & benignitas) literas accepit, quarum vnæ, quæ reliquas testantur, ad nostras manus peruenerunt: quibus eius operam in contrahendis inter Petrum Vasurtum cubicularium Regium, & Luciam Scobarem nuptijs, & industriam commendat: suam illi operam, vbi res tulerit, identidem pollicetur. Datæ

famil. Pipy

ſunt Caietæ 12. Cal. Iulias, an. ſal. 1446. Huius Tancredi filius Marcellus fœudum Bõſalam à Manfredo Alagona comparauerat: quam emptionem ratam habuit Alphonſus, & ſuo priuilegio confirmauit, plura cùm ipſius Marcelli, tum maiorum benemerita teſtatus. Datũ Neapoli Cal. Iulij, an. Do. 1445. Cùmque agrum Stallaini dictum poſſideret, exorauit ab Alphonſo fœudi nomine donari. Qui huius, & parentis meritis non ingratus poſtulata admiſit, & fœudi quaternati (vt appellant) baiulationis, & aliorum priuilegiorum iura conceſſit; quæ ſimiliter nobilia fœuda obtinerent: necnon à ſecreti, & patritij iuriſdictionibus abſolutum eſſe voluit: Datum Neapoli eodem tempore, quo ſuperius. Militauit aliquando Marcellus ſub Alphonſo: vbi contigit (vt à ſenioribus quidam probatæ fidei viri audiſſe confitentur) vt Marcellus armis, & animo inuictus fortiſſimi viri partes præ ſe tulerit, & quandoque inter conſertos hoſtes non minus audacter, quàm feliciter dimicarit. quòd auribus aliquantum captus, galeaque indutus tubæ receptui canentis ſonitum non facilè exaudiret, & cædendis hoſtibus intentus, quid alij exequerentur, non aduerteret. Denique Panormi ex humanis exceßit, menſe Feb. an. Dom. 1477. vt Petrus nepos literis mandauit. Genuit autem Georgium, & Petrum: à Georgio natus eſt Petrus, qui ſuſcepit Marianum, & Albertum, de quibus infrà eſt, quod dicamus. Alter autem

Petrus

Petrus Marcelli filius genuit Rinaldum, hic Petrum, hic Franciscum, hic Vincentium dominum Stallaini, & Herculem, cui nullum in Mathematicarum disciplinarum peritia secundum esse arbitror.

Exorauerant Netini (debito fortasse crebriùs) à Rege Alphonso priuilegiorum omnium, quæ eatenus obtinuerant, confirmationem. Cùm autem vrbis præfectura ab hæredibus Antonij Saloniæ pro ducentis auri vncijs pignori possideretur: & caussarum criminalium iudicatus Ferdinãdo Scompaio fuerit, dum viueret, collatus: qui literarum nescius plus addicenti ius, & proinde viris non integris vendebat officium: obtinuere oratores hunc alio munere donandum, & prætoriam virgam annuo munere à Rege conferendam. Datæ sunt literæ in Castellonouo Neapoli die 19. Nouemb. an. sal. 1452. an sal. 1450. comitia fratrum Minorum ab obseruantia Neti sunt habita 1458. 12. Mar. 7. ind. princeps Carolus cum Lupo Simene Vrrea Netum venit.

Floruerunt sub Alphonso plures Netini, vel literis, ac religione, vel armis etiam illustres. Antonius Bellassai doctor Theologus odinis Prædicatorum fuit in Sicilia Prior Prouincialis. sic legi apud acta Francisci Azzolinæ, an. sal. 1441. idem sub Rege Ioanne in actis Antonij Carobenij: fratrem habuit Rinaldum Bellassai sacrarum etiam literarum professorem eodem tempore in conuentu

Diui Francisci florebat magister Fridericus Ioanzuccius sacræ theologiæ Doctor, sicut & in Diui Dominici Antoninus Lanterius, vir eiusdem professionis, sic per quædam publica instrumenta exploratum habuimus.

Nicolaus Specialis

Nicolaus Specialis summo loco natus seipsum, suos, & patriam præ cæteris illustrauit. ad difficillima quæque munera obeunda, & ad omnia tum domi, tum militiæ celerrimè præstanda agillimo fuit ingenio. Alphonso verè magnanimo, doctissimi æquè, ac fortissimi, necnon integerrimi cuiusque viri Mæcenati, & fautori benemerentissimo fuit adeò gratus, vt illum pluribus annis Siciliæ gubernandæ præfecerit: quamplurima cum laude, & integritate, necnon Siculorum vtilitate adeò sapienter, & prudenter rexit, vt Alphonsum solitum dicere referant, si fortè omnes leges, mores, & viuendi norma interirent, vnum Nicolaum satis esse, qui omnia reficeret, & integræ obseruationi restitueret. Inter proceres illos numerat sexto Neapolitanæ historiæ libro Pandulfus Colenucius, qui cum Rege Alphonso bello nauali à lyguribus sub Philippo Maria Mediolanensium Duce fuerunt capti, & ab eodem honorificentissimè dimissi, an. sal. 1436 fuit patriæ, dum vixit, amantissimus. plurima enim in illius emolumentum sanxit, vel Regi sancienda curauit. fuit Dominus oppidi Paternionis, quod ab Alphonso emerat auri vncijs 4200. necnon & Inspicæ fundi,

quod

quod alienauit, vt apparet in actis Nicolai Francauillæ. fuit Dominus Castellucij, Granerij, Cassibilis, Sammarci, Celsi, Montis Climisi, & Cipullæ: prima duo emerat à Salimbenio Marchisio V. I. D. & Protonotario Regni Siciliæ. patet ex tabulis Ioannis Oliuerij Alcami die 6. Septembris 1417. pretio auri vnciarum mille. Ista autem venditio fuit confirmata Alcami a Proregibus Ilerdensi, & Antonio Cardona, 20. Octob. 1417. Domus suas, vbi Neti habitauit, quæ modò vocantur à Domina Melitelli, & adhuc in ostiorum fronte Specialium insignia præ se ferunt, simul eorundem esse voluit, qui Castellucij domini essent futuri. Duas habuit filias, quas nobilissimè nuptui dedit, Leonoram quidem Blasco Barrbesio Domino Melitelli, & Isabellam Domino Ferulæ oppidi. Consecutus est à Rege Alphonso vectigal panis vendendi Panormi, & singulos obolos portorij nomine frumenti ex Sicilia asportandi, necnon & vectigal pàscuorum in agro, & ciuitate Troinensi. fuit magister (vt vocant) portulanus portus Vindicaris cum annua auri vnciarum prouisione, & vnius grani in singula sagmata tritici extrahendi. fuit & in Sicilia magister à rationibus (quod quæstoris nomine apud Romanos dicebatur): qua dignitate etiam præfulsit Petrus eius frater. Testatus est Neti 7. idus Decem. an. sal. 1443. quamuis falsò quidam scribant 1448. Conseruantur hæ tabulæ apud Franciscum Ioanthomasium integerrimæ

rimæ virum fidei, & tabellionatus peritissimum. Meminerunt huius viri Maurolycus, & Fazellus. Neti tandem migrauit è vita die 13. Feb. an. sal. 1444. & marmoreo sepulcro in Diui Francisci iacet vbi hi versus licèt non planè politi, legũtur.

Magnificus Specialis heros iacet hic Nicolaus,
Trinacrijs tumulis ditior euge lapis.
Diuinos Cineres serua Speciale sepulcrum,
Sicelidum specimen, tam speciale decus.
Nestora consilio, quemuis virtute Catonum
Hunc Quintum Fabium pro grauitate puta.
Proregemque tribus lustris videre Sicani:
Nam totidem Regis sustulit ille vices.

Postero anno obijt Ioannes Matthæus Specialis Nicolai filius, apparet ex lapide marmoreo in eodem Francisci Sacello: vbi hoc carmen, & id rude, legitur.

Quæris Matthæi Specialis busta Ioannis:
Ossa viri fortis iste colossus habet.
Magnanimi intrepidi, clari Mauortis alumni
Tanta sub exigua condita virtus humo.
Hicce Camerlingus Regis: simul omnibus istis,
Olli, quod tantus contigit, adde, pater.
MCCCC. XLV. xx. Iulij obijt.

Floruit sub Alphonso Antonius Cassarinus, (Gasparinum vocant aliqui) de quo libro 4. Fazellus (libentius in nostratium commendationem alienis vtimur verbis) Antonius (ait) Cassarinus orator egregius Neæ natus est: quem ob famæ

dignitatem

dignitatem Panormitani accitum publico stipendio tres annos, vt adolescentes institueret, fouerant. Cæterum ad maiora aspirans Constantinopolim profectus, decemque annos in tanta vrbe degens in studijs oratoriæ facultatis, & grecarum literarũ cognitione tanta diligentia versatus est, vt inter præclaros viros, quos Græcia, & Italia suo tempore vidit, vnus excellentissimus haberetur. Constantinopoli enim, quæ Christiano tum imperio suberat, quinque annos Rhetoricam Græcè, & Latinè miro cùm ciuium, tum Imperatoris applausu in auditorum magna frequentia docuit. Venit postea in Italiam, & Papiæ primùm, postea Mediolani, postremò Genuæ publicè legens permultos erudiuit. Sed, dum anno salutis 1444 Genuæ ob ciuium magna dissidia stricto ferro excursionem multi facerent per vrbem, ac nonnulli tentarent in domum, vbi Antonius erat, perfractis portis irrumpere, dum ipse per fenestram alterius domus, quæ erat e regione, transilire nititur, in terram ingenti lapsu concidit, continuòque expirauit. Vertit hic in Romanum sermonem Platonis libros de Rep. quod opus Alphonso Siciliæ Regi dicauit: pluraque alia ex Plutarcho, & ex Platone latina fecit. Scripsit epistolarum libros quatuor, & orationes duas, quarum alteram habuit ad Philippũ Mariam, alteram ad Genuensem Senatum. Hæc ille. Meminit etiam huius Leander Albertus, & alij.

Ioannes Marrhasius (ait ibidem Fazellus) Netinus poeta, anno salutis, 1446 clarus in Italia est habitus. Senis hic Angelinetum poema amatorium elegiaco versu composuit. Quod Leonardus Aretinus in epistola, quam ad ipsum authorem scripsit, maximè probauit. Multa item alia ingeniosi poetæ testimonia edidit. in qua arte doctorū omnium iudicio summus euasisset, nisi medicinæ deditus Musis vltro cessisset. Hactenus Fazellus.

Rinaldus Sortinus gubernandarum ciuitatum solertia, proinde ac eloquentiæ, & generis nobilitate clarus patriæ inseruijt nunc ad Regem, nunc ad summum pontificem legatus, in ea præsertim lite quæ inter Netinos, & Syracusanos agebatur, dum nostri conarentur ecclesiam ab Arcu in Cathedralem sedem erigere, eidemque Abbatiam diuæ Luciæ à nemore aggregare; apparet per binas Alphonsi literas, alteras an. Dom. 1451. alteras verò 1453. datas. nec multò post ab eodem Alphonso Messanensis Strategus est creatus. Neti tandem in Diui Dominici sepultus est vbi & alter Rinaldus Sortinus vir disertissimus, & multis bonis ornatissimus. Huius viri commendationem innuens Petrus Pipis V. I. D. sic ad Rinaldum Sortinum, (quem Rinaldellum ad maioris differentiam appellatum nostri seniores tradunt) scribit: Quis nesciat antiquissimum Sortinorum genus, quod non solùm Neti, & Messanæ, in qua felicissimo principatu diu floruit, sed omnis penè Trinacriæ

nacriæ decus, ac ornamentum clarissimum extitit. Datæ sunt literæ idibus Decembris an. Dom. 1493.

Antonius Carusius Dominus oppidi inspicæ fundi fuit Generalis Magister (vt vocant) Rationalis cuius numismata inueniuntur, quæ vna ex parte illius stemmata continent; caput humanum ex superiori parte, duas lineas in angulum coniunctim productas ex inferiori, inter quas tres stellæ intercidunt, cum his ad circumferentiam literis, Antonius de Carusio Gen. Mag. R. ex altera verò est manipulus frugum cum aristis fascia ligatis: in circunferentia sunt hæ dictiones, Tutto per bene. Vidi vnum penes Petrum Boream, quo non mihi charior alter.

Attardus Boreas ciuis fuit Netinus, qui ob multa terra, marique egregia facinora, multosque pro Rege labores susceptos dono accepit à munifica Alphonsi manu fœudum Galermum in agro Leontino anno salut. 1424. quod ab eiusdem posteris possidetur.

Antonius Caramanna Regij in Sicilia patrimonij conseruator fuit: Profecturus ad Regem Alphonsum Neapoli degentem solenniter testatus est Panormi apud notarium Nicolaum Mariscalcum nono cal. Ap. 3. Ind. 1459. eodem etiam anno mortuus est Caietæ, apertum est testamentum coram Ioanne Tudisco magnæ Regiæ Curiæ Iudice, ciue Netino: legauit fœudum Barones, monasterio sacratissimi Seruatoris apud Netinos: fuit

etiam

etiam Dominus fœudi Mazarronis: cuius dimidiũ eadem de caussa dictæ moniales possident. Cuius vxor Violanta pari ornata pietate, & præclaris moribus instructa post viri mortem earundem monialium habitum, & professionem suscepit. auxit opibus suis monasterium, tunc primùm ædificari cœptum in eo loco, vbi nunc stat: adeò vt maiori ex parte Violãtæ largitate sit perfectum. Impetrauit eadem de caussa à Nicolao Quinto eius nominis Romano Pontifice certas indulgentias pro eas ædes die Dominicæ transfigurationis visitantibus, adiutricesque manus porrigentibus. Datum est diploma cal. Iunij, anno Dom. 1456.

Olim presbyteri de bonis à se acquisitis ex veteri quadam consuetudine non poterant testari, de patrimonialibus duntaxat disponentes. Thomas autem Episcopus Syracusanus, & eius successor Rogerius eam siue consuetudinem, siue legem detestati permittebant suæ Diœcesis clericos de omnibus bonis indifferenter posse testari. Quod Netini cautius agentes ab Eugenio Quarto Pontifice Romano, & veteris iuris irritationem, & horum æquiores sanctiones confirmandas curarunt. Diplomata habita sunt Romæ cal. Aug an. sal. 1444. Insinuandum voluit presbyter Rinaldus Riccæ die 21. Ap. 1460. quod & hactenus obseruatur.

Paulus Maczo V. I. D. habitus est Siculorum in ciuili scientia præstantissimus: de quo Ioannes Antonius Cannetius in Friderici Regis extrauagantem,

gantem,

gantem, quæ incipit, volentes, Idem (inquit) tenet Paulus Maczonus, qui floruit tempore Gulielmi Perni, vir non parùm exercitatus in scientia legali, maximè fœudorum, vt sua scripta testantur, in consilio suo incipiente, Ad primum dubium, de quo quæritur. Floruit autem sub Rege Alphonso, vt ex eis, quæ Pernus de principe scripsit, & alijs locis licet aduertere.

Alphonso ad meliorem vitam translato Ioannes frater, qui Siculis pro Rege multos annos præfuerat, successit: ad quem in Hispaniam, coacto apud Calatagironem procerum conuentu, nobilissimi oratores, inter quos Vassallum Specialem, qui fuit Nicolai superiùs memorati filius, ex Siculis constitutionibus didicimus, fuerūt missi: qui fidem pro omnibus Trinacrijs Regi inrciurando præstarent, & immunitatum ad ea tempora concessarum confirmationem exposcerent. Inter alia obtenta est confirmatio priuilegij à Martino impetrati, vt ex emporio Vindicari quingenta tritici sagmata extraherentur, quorum ius, & pensio ciuitati Netinæ persolueretur. magna quidem, & populosa eo capite vrbs Netina nominatur, & inter montana Regni Siculi oppida maximè præcipua, sed tunc inops, & egens: Regibus obœdientissima, & prompta memoratur. Quapropter iuxta ea, quæ ab Alphonso sunt constituta, Ioannes agendum mandauit, habita sunt hæc quinto cal. Martij, anno à Dominico natali 1460. Quarto post anno Iacobus Burgius

Siculus. Episcopus Mazarensis Siculorum legatus à Rege Ioanne pro Netinis exorauit confirmari ciuitati, eiusque prætoribus merum, & mistum (vt vocant) imperium.i. gladij potestatem, & sanguinis in reos effusionem, more ciuitatis Catinensis. Idem Regem docuit ciuitatem Netinam Catinensi, Syracusana, & Drepanitana esse populi copiosiorem: ostenditque sub Rege Alphonso, aliàs etiam sub eodem Ioanne eandem priuilegij concessionem apud Netinos viguisse. Annuit Rex. Conseruatur integerrimum diploma, datum Terracone die 16. mensis Decemb. an. sal. 1464. idem est executus prorex Ximenes Vrrea. habentur & huius literæ datæ Messanæ die 29. Nou. 1465. Per eundem Iacobum obtentum est arcem Vindicarem à Duce Petro Alphonsi, & Ioannis fratre captam ædificari, & eiusdem morte intermissam, perficiendam: tum quod emporij Regij emolumentis maximè esset profutura, tum eorum, qui littori adiacentia rura colunt, saluti, firmoque præsidio habendam. Impetratumque est, vt quemadmodum sub Petro, ita & sub Ioanne, ex æquis portionibus dimidio expensarum Rex faceret satis, reliquum verò Netina Respublica suppleret. Constat huius impetratio eodem Regio diplomate. Eiusdem Regis vicem gerens Ximenes declarauit incolas Netinos, qui ciuilia officia peterent oportere, vt saltem annum integrum, mensem vnum, vnam septimanam, vnumque diem vrbem hanc habitauerint.

uerint. Datum Messanæ 29. Nouemb. anno Domini 1466.

Anno sal. 1468. *magna fuit Netinis, reliquisq; Siculis frumenti penuria valebat tt.* 19. *in sagma: hordeum verò tt.* 11. *vtinam huiusmodi caritatē semper pateremur: vt tanti vel in abundantia fruges venirent. At Netini, vt annonam sibi compararent, vlnæ vectigal Nicolao Syracusæ omniū ditissimo, & ornatißimo viro pignori dederunt.*

Anno verò 1474. *Petrus Specialis Netinus, frater Nicolai Specialis, regius miles, & magister à rationibus, vt Siculæ constitutiones meminerunt, dominus oppidorum Alcami, Calatafimij, & Castellucij, æger corpore testatus reliquit hæredem Ioannem Matthæum filium Vaßalli Specialis fratris ipsius testatoris. nec multò post moritur. Postero anno Ximenes pro Rege Siciliam gubernans concessit, vt iurati Netini possent cogere dominos, & conductores viridariorum, & nemorū, vt omnium frugum, & fructuum, qui in Netino perciperentur, dimidium in vrbem Netum vænū asportarent, dummodo præsenti pretio illorum dominis satisfieret. Datum est priuilegium Neti, die primo Feb. an. sal.* 1475. *In eundem modum lego alias literas habitas Panormi,* 17 *Iul.* 1475. *Idem sub Ferdinando Catholico ratione in perpetuos annos valitura. Datū Catinæ* 29. *Iunij* 1494. *erat tunc à secretis Ferdinandi Ioannes Antonius Prouina, ciuis Netinus, & quoniam hoc olim in*

singulos annos concedi soleret, Gaspar prorex perpetuo iure seruandum in posterum concessit, non expectatis aliis literis. Datum Panormi, die decimo Iulij. Eodem anno 1474. 18. cal. Septemb. Motycæ obtruncati sunt 470. Iudæi, Neti verò 18. ex omni sexu, & ætate.

Floruit sub Ioanne Rogerius Landolina, vir vt rei militaris peritissimus, ita aliis etiam virtutibus ornatissimus. fuit Carolo Regis Ioannis primogenito charissimus, & ab eodem inuitatus, vt Regij equilis præfecturam susciperet. habentur adhuc literæ, quas Carolus, dum Neti adesset, in collati officij signum scribendas iussit, an sal. 1459. Mortuus est Rogerius Neti, anno sal. 1474. vt apud libros cœnobij Diui Francisci Neti comperi. testatus reliquit hæredem Ioannem filium primogenitum.

Celeberrimus in tota Sicilia fuit Nicolaus Datus, & Medicus, & Philosophus præstantissimus: cuius prædictiones adeò veraces fuere, vt cui infirmo lethalis termini diem prædixerit, non conualuerit. Hinc inter omnes suæ professionis viros, excellentissimus est habitus. plurimum sibi diuitiarum, honoris, & gloriæ felici ægrotorum curatione comparauit. quos enim alij presbyteris (vt eorum prouerbio vtar) reliquerant, multos ipse ab Orci faucibus reductos firmiori valetudini restituit. Accepit eadem de causa ab Antonio Moncata Calatanisettæ tum Comite fœudum sancti Michaelis

chaelis cognomento dictum, quod in agro Augustano situm est. Hic Bononiæ, (vt eius priuilegio adhuc visitur) doctoris insignia est assecutus. an. sal. 1446. In eo inclyta patria, & clari eius proaui nominantur. Meminit huius Lucius Marineus Siculus lib. 5. ep fami. vbi ad Cathaldum Parisiũ scribens inter Mathematicos, & Medicos præstantissimos Nicolaum recenset.

Ioanni 11. cal. Feb. anno salutis humanæ 1479. defuncto Ferdinandus filius cognomento Catholicus, vt qui & Pœnos ex Hispania depulerit, & Iudæos ex suis Regnis eiecerit, & in omnibus Christianæ pietatis obseruantissimum præse tulerit, subrogatur.

Pridie verò cal. Mar. die Dominico habitæ sunt Neti exequiæ Regis Ioannis in templo Diui Nicolai. altissimus erectus est tumulus pretiosis pannis, & columnis instructus, accensis 170 cereis. Omnis magistratus, fœudatarij, viri patricij, & doctores numero 92. & 20. Iudæi lugubrem habitum induerunt. Notatum offendi apud Franciscũ Muscum. Eodem anno 15. cal Maij Ioannes Cappellus miles constituit, procuratorem Ioannem Cappellum nepotem ad præstandum iuramentum fidelitatis fœudi Rabuxini, & fœudi Tynnariæ Pachyni, ob nouam successionem Regis Ferdinandi. Hoc ex actis Matthæi Laurifitis.

Nec defuerunt negotia quæ primo sui Regni anno pro Netinis tractaret. Nam amoto Petro Va-

surto iam mente capto, officium magistri Notarij prætoriæ curiæ (quod hodie Nicolaus Astutus optimè de illo munere meritus obtinet) Andreæ Baierio contulit. Datæ sunt literæ Barchinone die 3. Sep. anno Dominicæ incarnationis 1479 *&* 24. *Decemb. eiusdem anni Orlandi Auolæ merita commendat, eiusque nepotes ad tempus proscriptos condonat. eundem an. sal.* 1485 *Netinæ arci præfecit, gratia etiam concessa, qua in filios, & hæredes suos posset arcis possessionē traducere.* 1480. 16. *Apr. habita sunt comitia prouincialia Diui Francisci: interfuere* 11. *magistri Theol. & alij* 150. *cucullati: octo diebus commorati sunt Neti. An.* 1482 *idibus Apr. duæ ciconiæ super campanariam Diui Nicolai molem consederunt, altera angeli, altera beatæ virginis lapideorum signorū capitibus: & vbi aliquantisper quieuerunt, euolarunt non amplius visæ.*

Eadem tempestate Antonius Platamo à Rege Ferdinando obtinuerat in suis fœudis Combaudo, & Risalini posse turres ædificare, oppidum construere, ciues admittere, iura exercere, vectigalia imponere, officiales eligere, & cætera administrare, quæ alij oppidorum Domini in suos subditos vsurpant Datum est diploma Hispali, die 15. *Janu. an. sal.* 1485. *Netini verò prænidentes nouum istud ædificium maximo detrimento suæ ciuitati futurum acriter instire, & missis ad Regē oratoribus, eiusdem priuilegij reuocationem obti-*

nuere

nuere. Et hoc Salmanticæ, 23. Ian. an. sal. 1487. Idem factum est, vt dicemus, eadem sub Rege Carolo lite suscitata. Conseruatur apud Senatum totus processus, vbi euidentissima, & firmissima defensionum capita continentur. Idem millesimus quadringentesimus octogesimus quintus annus nos monet, ne taceremus, quod literis mandatum comperimus, Ioannem Cappellum, Ioannem Landolinam, Calcerandum Saloniam, Iacobum Specialem, Iuratos, necnon Ioannembaptistam Sapiam tum Prætorem vrbanum, beati Conradi tumulum aperuisse, & cadauer adhuc integrum, & ex omni parte illæsum conspexisse, cum mira odoris fragrantia, quæ illinc emanabat. Hoc eodem anno Antonius Carusius Dominus Inspicæ fundi, Nicolai filius, & Antonij, qui sub Alphonso floruit, nepos, ex Diui Conradi brachij contactu, admouente loco affecto reliquias presbytero Antonio Mineo ex renum dolore statim conualuit. Vnde sanitatem consecutus hilari omnium iubilo, & brachium, & manum, prout hodie visuntur, argenteis thecis mandauit includenda. Hæc ex maioris ecclesiæ scripturis collegimus. Hic ille est Antonius, qui monasterio Diuæ Claræ, templo Diui Nicolai, vbi marmoreo tumulo est sepultus, alijsque pijs locis certos prouentus assignauit, qui in matutinis sacrificijs impenderentur.

Exornata est eadem tempestate hæc ciuitas sanctissimæ crucis, in qua salutis author pro Mundi

salute pependit, fragmento. Dum enim Ioannes Maczo ciuis Netinus Barcinone aurificio addiscendo operam daret, nobilis quidam vir certa salutiferæ crucis fragmenta auro includenda locauit. incisam prudenter operis caussa particulam poposcit, quam supplex vouit, si incolumis in patriã recessus contingeret, Crucifixi templo dicandam. Quod vbi obtinuit, re ad Dalmatium episcopum delata, vt sine vlla hæsitatione à Christifidelibus adoraretur, expertum voluit, an reliquiæ illæ verè è Christi cruce fuerint desumptæ. foculum ardentibus prunis instructum ad se adducendum iussit, & in ignem sacrati ligni particulam iniecit: quæ aliàs statim comburenda, non mediocri interstitio illæsa, & incombusta permansit, ac si ne flammas quidem vllas attigisset. Quo miraculo commotus rem maiori pietate tractat: sed rursus secundum experimentum aggreditur: eandem assulã in craterem aqua plenum iniecit, quæ præter ligni naturam aquis non supernatauit, sed ad ima more lapilli descendit. Actæ sunt à præsule, & multò vehementius à populo Netino Deo optimo maximo gratiæ, qui tam euidentia suæ bonitatis signa exhibuit: & colendam indubitanter crucem Dalmatius primus omnium adorauit. extant eius literæ datæ Syracusis 28. Ap 1486. celebratur eius solennitas mense Maio in Exaltatione Crucis. Eadem de caussa Gilbertus Syracusanus Episcopus eandem sacratæ Crucis particulam, quam auro in-

clusam,

clusam, & cristallo intectam Netini voluerunt, quarta quaque Dominica intra templum circunduci posse concessit, & quadraginta dierum indulgentiam eandem venerantibus est elargitus. quam etiam gratiæ largitatem ijs, qui festis diebus per totam octauam mense Maio operam nauarent, impertiendam voluit. Datum Syrac. die 21. Iun. 1577. Anno 1487. die Veneris 5. Cal. Maij hora 18. visus est in cœlo ingens circulus, in medio cuius sol elucebat, & amplius integra hora fuit omnibus conspicuus, mox aliquantisper latuit, & iterum apparuit.

Intera Diui Nicolai templum vtroque latere amplius struebatur, vt copiosum populum ad sacra audienda frequentem commodiùs caperet. Legimus in sinistra fronte, vbi supra fontem Ciuitatis stemmata visuntur, temporis inscriptionem, die 13. Decēb. an. sal. 1491. tertio post anno maior ianua instaurata est, & candenti marmore affabre perfecta: quemadmodum literæ ibidem à superiori parte incisæ testantur.

Anno salutis 1497. 6. idus Martij primæ Indictionis apud acta Francisci Musci constat Nicolaū Landolinam, Bartholomæum Coccium, Matthæū Trindainum, & Ioannem Antonium Angelum petisse templum construendum Episcopi Syracusani permissu sub vocabulo Mariæ à Pietate in regione; quæ dicitur passus bouum: vbi nuper fuerat inuentum antrum cum imaginibus beatæ Virgi-

nis, Christi, Ioannis Euangelistæ, & diuæ Veneræ: quò pietatis caussa multi fideles oraturi confluebant: fundatum est templum ibidem, in clausura Antonij Sortini presbyteri, eique quaternos annui census tarenos singuli prædicti viri dotatos voluerunt. ibi tandem constructum est cœnobium Capuccinorum: quibus sedes pristinas deserentibus, locus venditus est Iosepho Landolinæ, vbi amœnissimos habet hortos.

Anno sal. 1492. die Lunæ 14. Cal. Iulij Ferdinandi edicto omnes Iudæi è Sicilia trimestri spatio excedere iussi, vix aliorum trium mensium dilationem impetrarunt, magnoque persoluto pretio tandem 12. cal. Ianu. omnes commigrarunt in alias nationes, præter vnum, eundemque vilissimum, qui cum Motycæ Iudæi interficerentur, duodecies est tortus.

Dumque Senatus, populusque Netinus instaurandis insigni pietate sacris ædibus insudabat, Dalmatius quoque Episcopus Syracusanus, vir prisca sanctitate clarissimus ecclesiæ fideliter, & officiose administrandæ incumbebat. Mortuus dudum fuerat Ioannes Romò Cantor, & Beneficiarius maioris ecclesiæ: in eius locum Ioannes Vrsus tum Vicarius ab Antistite subrogatur. In cuius rei diplomate beneficium constitutum, & fundatum per Iacobum Petrum asseritur, & eius electionem, & præsentationem ad eiusdem ecclesiæ rectores, & ministros, quos Cappellanos nuncupant, pertinere.

Nec minus alia templa, piique loci Religioso augmento & hominum virtutibus, & fabricæ ornamentis excolebantur. nam & diuæ Claræ cœnobium, quamuis Monialibus iam administratum, fabricæ complendæ intendebat. Quapropter Ferdinandus Rex omni virtutum genere præstantissimus eidem monasterio quaternas auri vnicas quotannis ex saltibus aquatilium molarum, & earum officinarum, quibus laneæ telæ inficiuntur, exigendas concessit. obtinuerat prouentus illos Petrus Vasurtus ab antecessoribus Regibus collatos; sed quoniam fato functus, fuerant ad Regem deuoluti. Habitæ sunt literæ Barcinone die 24. Mar. anno Christi natalis 1493. Lego etiam apud fratres Minores ab Obseruantia fratrem Bernardinum Netinum tum vitæ sanctitate, tum certo prædicendi genere fuisse populo admirabilem. Plurima enim diuino afflatus spiritu vel loco, vel tempore longinqua vaticinatum ferunt. Sic Petrus Pipis huius rei testis annotauit, an. sal. 1499. Anno Domini 1498. secundæ Ind. maxima fuit musti abundantia, vendebatur enim vno tareno, & quandoque decem obolis in singula sagmata. plures vineas gratis vindemiandas publicarunt, & multæ vuæ cnustæ remanserunt, quas nec Domini, nec alij exonerarunt. fuit etiam tritici feracissima copia, sic annotatum inueni apud acta Angeli Laurificis. Hinc est, quod aiunt vinum binis æreis nummis in singulos sextarios venditum; referuntq;

Vini abundantia

 nobis

nobis seniores in caupones iocatos, cùm dimidium vini sextarium empturi, vnum denariolum promentes monebant, vt probè pretium numeratum haberent. Adde, ob tantam vini fertilitatem Nicolaum Syracusam ædes suas, quæ diuæ Catharinæ templo sunt contiguæ, pro aqua vino calcem extinxisse, & in omnibus ad ædificium pertinentibus vsum esse. Hinc etiam aiunt Bartholomæum Prouinam hospitio proregem Neti excepturum, vt quàm facillimè pro militibus, & familia potum expeditum haberet, cisternam suam vino temperasse: & hinc mista pocula hauriebant.

Anno Domini 1497. quarto nonas Octob. primæ Indictionis migrauit è vita princeps Castellæ Ioannes Marcus, & 10. cal. Decem. Neti eidem iusta persoluerunt non minori luctu, quàm honore. Interfuere omnes Religiosi, omnes officiales, fæudatarij, nobiles, & duodeuiginti Confraternitatũ viri cum totidem trophæis, quos Confalones vocant, albis saccis induti. Iurati Ioannes Ribaldus dominus Moriellæ, Henricus Plicus, Mutius Barbilatus, & Nicolaus Antonius Syracusa; Nicolaus Salonia prætor, Orlandus Auola Castro præfectus cum cæteris Iustitiæ ministris: lugubri habitu induti, præter quos erant quinquaginta alij nobiles etiam pullati à Mariæ à Castro vacuum feretrum auro obrizo coopertum sub vmbella ad Diui Nicolai solenni processione tulerunt. Funebrem orationem habuit Magister Rinaldus Bellassai or-

dinis

dinis Prædicatorum, Ioannes Vrsus Missam celebrauit, quam solenni cantu adiuuerunt cæteri Religiosi: his exequis interfuere hominum circiter quatuor milia. triduo officinæ, & tabernæ non patuere: cereorum pondere sesquicentipondium confectum est. Hæc ex actis Francisci Musci.

Nec Reipublicæ cura in temporalibus interim cessabat apud eos, quibus ex officio onus incumbebat. Quòd omnes agricolæ seminantes in Netino tertiam quanque collectarum frugum portionem in vrbem Netum vendendam inferrent, ex vetustissima consuetudine, cuius nulla hominum memoria extaret, habitæ sunt literæ obseruatoriæ à Ferdinando, die 25. Iun. an. Dom. 1496. Idem etiam obseruari lege cautum est in bobus, ouibus, cæterisque pecudibus, & fructibus vendendis, vel in macello conficiendis: vt tertia quaque pars Neti vænum daretur. Quin etiam in lite aduersus Syracusanos, & Matthæum Platamonem Dominum fœudorum Cambaudi, & Lalmadaræ, & quorundam aliorum Antonius Cacciaguerra tum iuratus legatus est ad Regem, sententiamque, & literas obtinuit, vt ciuitas Netina manuteneatur in possessione cogendi dictorum fœudorum & aliorum dominos totum commeatum, & agricolas, vt Netum tertiam quanque collectarum frugum partem asportarent. Habitæ sunt literæ die 19. Decembr. 1501. eodem anno 4 non. Aug. grandine adeo ingenti pluit, vt tegulas fregerit. 4. idus Aug. ap-

paruit cometa instar albæ columbæ, cũ magna cauda cuius splendore terra claruit, & resplenduit. postero anno, concessa à summo Pontifice Alexandro Sexto in singulis vrbibus, & oppidis salutari quinquagenarij Iubilæi gratia, publicatũ est Neti sub Matthæo Syracusæ in spiritualibus Vicario, mense Nouemb. Orandi locus assignatum est Seruatoris cœnobium, quò maxima cum pietate, vt decebat, populus confluxit. Anno sequenti Ferdinandus certior factus ex nostra patria viros in omni doctrinarum genere præstantissimos, ingeniosos, & industrios euasisse, qui & superiori, & eiusdem etiam Regis tempestate non Siciliam modò, & Italiam, sed & Hispanias, cæterasque orbis terrarum prouincias illustrauerant: considerans que maximam à Netinis Regiæ maiestati nullo non tempore exhibitam fidelitatem, edixit Netum ingeniosam ciuitatem nuncupandam: Datum est diploma Barcinone, die 23. Iunij 6. Indict. anno à Christi natali 1503. author eius gratiæ impetrandæ fuit frater Rinaldus Montorus episcopus Cephaleditanus, & Netinus patria, vir omni probitatis, & disciplinæ genere clarissimus. Eodem etiam authore fuerunt, & aliæ gratiæ à Rege Catholico impetratæ. Olim pro castri & munitione, & custodia sancitum fuerat, vt singulæ domus iure quodam solarij singulos tarenos soluerent, & quoniam exactores ab eis, qui vel veteres domos amplificarent, vel palatia erigerent, plus stipis extorquebant:

torquebant:

torquebant: Netini per episcopum Cephaleditanum à Ferdinando exorauere, ne quid amplius præter prædictum pretium soluerent: vtque ab hoc onere immunes nouas ædes construere liceret. Quæ omnia hactenus plenissimè obseruantur. Datæ sunt literæ Barcinone 30. Iun. an. salutis 1503. Obijt eodem anno Alexander Sextus Pontifex, eique subrogatur Pius Tertius, cui paucos post dies defuncto successit Iulius Secundus. Hic sacratissimi Netinæ ciuitatis Seruatoris monialibus, præposita earundem sorore Leonora Salonia, concessit indulgentias congregationis sanctæ Iustinæ Patauinæ à diuersis summis Pontificibus eidem collatas. Datum est diploma die 10. Mar. 1507. Quo anno quarto nonas Augusti Constantia primogenita Ioannis Matthæi Specialis, & eius vir Ioannes Baptista Lampisus Dominus oppidi Gibellinæ, cum Catharina filia Nicolai Specialis fratris vtrinque cōiuncti dictæ Constantiæ, infirma esset valetudine, & iam in extremis laboraret, constituit procuratorem Ioannem Maccam ad capiendam possessionem fæudorum Castellucij, Granerij, Sancti Marci, Celsi, Caßbilis, Cipullæ, Montis Climisis, Ludidini, Solarini, Scarancini, Fusarræ, Beluidirij, Pontis, & supplementi portus Syracusani, & quæcunque Neti Catharina poßideret. Eodem anno 15. cal. Sept. Nicolaus Antonius Syracusa Nicolai filius dedit vxorem Margaritam filiam Gaspari Vigintimilio primogenito

nito

nito Fracisci Domino Buxemæ, qui dotauit propter nuptias filio oppidum ipsum cum omnibus eius fœudis. Hæc ex actis Angeli Laurificis.

Anno salutis 1513. quemadmodum Petrus Pipis scriptum reliquit, valida pestis Netinos afflixit, arrha tamen maioris mali impendentis. 14. cal. Octo. grandis fuit illauies, & aquarum impetus in agro Netino præsertim in agris, quam flumariam vocamus. Quo etiam anno Iacobus Humana episcopus Scuterensis templum Diuæ Claræ apud Netinos dedicauit. Postero anno 6. cal. Ap. hora noctis octaua, sabbatho ante Dominicam tertiam quadragesimæ cum plurimorum ciuium concursu, pietate, & fletu deposita est ex pristino loco Crucifixi imago, & in Sacellum nouũ, vbi nunc colitur, collocata. Sic à quodam presbytero præter ea, quæ in pariete veteris loci leguntur, annotatum inueni. Annus autem à Seruatoris nostri aduentu tricentesimum tertium lustrum exigens fuit Netino populo maximè memorabilis. Nam Leone Decimo Pontifice concessum est Diui Conradi reliquias posse coli, adorari, & per vrbẽ circunduci. Mandata est caussæ cognitio Iacobo Humanæ, abbati sancti Spiritus, & episcopo Scuterensi, tum etiam generali Dalmatij præsulis Syracusani in spiritualibus Vicario. Qui habitis mandatis die 28. Aug. Netum venit, & caussa cognita primum Diui Conradi festum anno postero feliciter est auspicatus, & præsens veneratus: quãdo

tot eius sancti virtutis signa, tot miracula visa sunt, varijs à morbis tot homines sunt liberati, vt maxima cum totius populi lætitia, & pietate Deo, & beato Conrado gratiæ agerentur. Sic deinceps cautum, consuetumque est, vt quotannis vndecimo cal. Ianua. eadem celebritas repeteretur. An. 1510. habita sunt Neti comitia prouincialia Diui Dominici.

Floruere sub Ferdinando Catholico viri Netini in omni disciplinarum genere admirabiles, & tanta ingenij dexteritate præditi, vt meritò ciuitas ingeniosæ cognomen sit assecuta: quod & Caroli Quinti Romanorum Imperatoris literæ confirmarunt. Conspicuus fuit præ cæteris Rinaldus Montorus genere quidem nobilissimus, vt qui Mainitto Landolinæ Domino Burgij, suæ ciuitatis potentissimo sororem nuptui dederit: sed meritis, & parta dignitate multò nobilior. Dominicanus Religione pijssimus, philosophus, & theologus professione disertissimus: sic in negotijs gerendis agilis, & dexter, vt à Siculis ad Regem Ferdinandum pro rebus ab vniuersam Sicaniam pertinentibus fuerit, & quidem feliciter legatus: ab eodem Rege Cephalœditanæ ecclesiæ præfectus est: sed ibidem quietam vitam agere vrgentibus Siculorum negotijs non permittitur: modò ad Ferdinandum, modò ad summum Pontificem orator ablegatur; nec arduam huius rei prouinciam, communem vtilitatē priuatis commodis præferens recusabat. Multas

pro patria, plures pro aliis vrbibus gratias exorauit. Panormi in plurimorum procerum consessu 13. cal. Decemb. an. sal. 1497. in Ioannis Aragonij Ferdinandi filij obitum funebrem orationem habuit, quam nos editam vidimus. Scripsit libellum de reductionibus naturalibus, & de futurorũ contingentium difficultate. dicitur quædam alia in lucem dedisse, quæ ad manus nostras non peruenerunt. Fuit & in Sicilia, & in Neapolitano Regno generalis hæreticæ prauitatis inquisitor. hoc titulo ad eundem scribit suis in epistolis Petrus Pipis an. sal. 1500. & 1505. Hunc Lucius Marineus lib. 5. epi. famil. omni literatura præstantissimum appellat. An. sal. 1499. die 16. Nouemb. Neti Dalmatius episcopus Syracusanus è Diœcesi negotiorum suorum caussa egressurus Rinaldum Montorum procuratorem constituit, tam in ijs, quæ ad ordines, quàm in his, quæ ad iurisditionem pertinent; vt in tota Diœcesi Syracusana episcopali munere fungeretur. Tum Rinaldus plures menses Neti cum hac dignitate resedit. Sic inuenio per plures stipulationes apud notarium Nicolaum à Donnis. fuit etiam eo anno Rinaldus comissarius generalis sanctæ (liceat vulgatis verbis vti) Cruciatæ. fuit etiam abbas monasterij ab Arcu, quod in perpetuam commendationem habuerat. patet ex actis Angeli Laurificis, vbi Mainittus Landolina procurator eiusdem pascua vendit, in alio contractu citatur priuilegium eidem concessum

Neti

Neti die 22. Apr. 1506. Mortuus autem est ex plereusi, dum adhuc apud Regem pro Siculis ageret, mense octob. an. sal. 1511. quemadmodum Marianus Accardus in quadam lamentatoria epistola valentia ad Petrum Pipim deplorat.

Antonius Corsettus vtriusque iuris Doctor inter viros totius Italiæ, imò & Europæ præstantissimos censetur: plurima suæ professionis opera composuit excellentissimi doctoris titulo donatus; quæ omnia passim leguntur, & à doctissimo quoque citantur. Ad Melitensem ecclesiam promotus vix biennio sedit: Romam reuersus ad maiora etiam aspirans eandem cum Alexandro Sexto veneni, & mortis internecionem subijt, an. sal. hum. 1503. habitabat Neti in ædibus, quas modò incolit Marianus Ferrarius. Summis eum laudibus extollit Matthæus Syluagius, vbi de Neto loquitur. Lucius Marineus lib. 5. epi. Corsettum Melitensem episcopum omni doctrina celebrem appellat, nec minoribus laudibus exornant, qui eius doctrinam, & authoritatem adducunt.

Iacobus Humana abbas sancti Spiritus Calatanisettæ, & episcopus Chalcedonensis (quanquam eo tempore ecclesia illa penes infideles fuerit) fuit Dalmatij episcopi Syracusani in spiritualibus Vicarius, sanctæ Claræ ædes dicauit, Apostolicæ sedis iussu primum Diui Conradi festum instituit: quemadmodum è multis huius sancti historijs, Leonis Decimi diplomate, & quibusdam processibus,

quæ

quæ apud maioris ecclesiæ rectores conseruantur, annotauimus.

Ioannes Antonius Prouina excellentissimus, & historicus, & geographus in insulam Hiberniam à summo Pontifice nuntius fuit missus, & de eius insulæ, & Thyles situ, populorumque moribus scripsit. quem librum Ferdinando Cuneæ, quem Fazellus Acuneum vocat, dicauit. Conseruatur opusculum Neti apud cœnobium fratrum Minorũ ab Obseruantia.

Magister Antonius Aliotta sacræ Theologiæ professor, ordinis Minorum fuit multis annis, imò quandiu vixit, custos custodiæ Syracusanæ. Sic apud plura instrumenta publica inuenio ab anno 1463. & deinceps ad 1492. quo tempore eundem lego ministri Prouincialis Vicarium fuiße.

Ioannes Quattrus non minus legum scientia, & morum integritate celeberrimus, quàm erogatis in pauperum connubia diuitijs, quarto mihi cognationis gradu iam coniunctus, maximæ virtutis fuisse dicitur: adeò vt multorum nobilium inuidiam vicerit. plæbeio genere natus nobilissima apud Ferdinandum Catholicum Regem obtinuit officia. nam ei à secretis profuit, & multa vtiliter, honesteq; consulendo fuit gratissimus. Eius bibliotheca ex magna parte Neti apud minores ab obseruantia conseruatur, vbi sepulturam elegit, testatus an. sal. 1523. octauo cal. Nouemb. Tauromenij apud acta Sebastiani Constantij. eius hæres, & legatorum

rum fidei commissaria est præfecta cœnobio Diuæ Claræ apud Netinos.

Iacobus Ribaldus Dalmatij præsulis Vicarius beati Conradi historiam soluta scripsit oratione, & eidem antistiti dicauit. Legi apud illum, cuius exemplar à Mariano Pipi domino Bomphalæ monstratum est mihi, & Gulielmi filium Petrum Bucherium laqueo enectum, & patris casas, quas ille à Friderico Rege dono postulauerat, veteris arcis citra Crucifixi templum stetisse, Maurorum fortasse castri reliquias: quæ duo apud alios scriptores non habentur. fuit Iacobus Decretorũ Doctor.

Ioannes Antonius Coczus V. I. D. socer Ioannis Scarrocciæ Medicorum *suæ ætatis celeberrimi, habitus est in iuris ciuilis peritia singularis. extat eius epistola ad Petrum Ppim an. sal. 1496. veneno extinctus est Palatioli, dum delegatorio iure crimina inquireret.*

Andreas Barbatius, cuius inter celebratissimos doctores sub nomine Andreæ Siculi depingitur imago, Neti natus est: & professionis politicæ gratia apud Mamertinos donatus est ciuitate. Qui mos diu inoleuit, vt immunitatum caussa plurimi vel summo, vel infimo loco nati vel Panormi, vel Messanæ ciues ascribantur. Quod fuit caussa, vt Francisci Pharaonius, & Maurolycus frustra tantum hominem suum esse ciuem glorientur: nisi nobiscum sentiant, natali Netinum, habitatione verò Messanensem esse: quemadmodum ipsemet in

uorum

suorum operum inscriptionibus, quæ omia Neti apud fratres Minores ab obseruantia inter primas bibliothecæ classes conseruantur, testatur. Nostræ sententiæ astipulatur Albertus Leander asserens Barbatium ciuem fuisse Netinum, quamuis alij Messanensem affirment. Clarius hoc expressit author illius opusculi, quod Christophori Scanelli nomine circunfertur, asseritque in operum discursu Barbatium Netum patriam agnoscere. Idem asserens Magister Iosephus Bonasia magni nominis Theologus Barbatij ædes prope cœnobium Diui Francisci apud Netinos hac de re colloquentibus indicabat. Idem asserit Iosephus Carneualius lib. 2. cuius verba sunt hæc: Et la Città ingeniosa di Noto, dalla quale tutta la valle ha preso il nome, fù anticamente questa Città, chiamata Neas, come Diodoro nell' 11. ci mostra, & da Tolomeo Neetum, & da Silio nel 14. Netum: quando disse, Netum, & Mintæ pubesq; liquentis Arethi. Fu edificata da Sicoli, Ella è veramente molto ricca, & molto grande, che in essa sola vi si contiene, il numero di tremila vent'vno fuoco. Fu nobilitata per lo nascimento di Ducetio Re di Siculi, grandemente inimico di Siracusani, & Agrigentini, con i quali souente hebbe fiere battaglie, vi nacque ancora Giouanni Aurispa; & Giouan Marrasio Poeta, Antonio Cassarino Oratore, & si crede che di questa terra, haueße l'origine; Andrea Barbatia, eccellentissimo Dottore. Quiui s'honora

San Corrado Piacentino, molto miracoloso, e propitio à que'che di mal di Hernia, ò rottura patiscono. Huius doctoris laudes texere superuacuæ est operæ, cùm & grandia volumina ab omnibus ferè posteris citata id ipsum vulgò profiteantur, & qui eum Meßanensem contendunt, plura prædicent.

Nicolaus Syracusia dominus Cassari oppidi, & Castellucij, & Granerij, quæ hæc duo emerat à Ioanne Matthæo Speciale cum redimendi facultate, sicut & postea à Vassallo Matthæi filio redempta sunt, fuit homo cùm diuitiarum copia præstantissimus, tum singulari munificentia liberalissimus. nam & ciues suos libentißime adiuuit in pauperum, & sacrarum ædium subsidium plurimum pecuniæ erogauit. Idem author fuit aquæ è fonte Runedi ad quartum lapidem distantę in vrbem inducendæ, quam modò pluribus fontibus sub varijs rerum imaginibus irrigat. in quorum vno à Diuæ Vennera cognomen habente hoc Ioannis Anghessæ emblema sub Vega prorege editum habetur:

Vipera pro viro dulcem dat pressa liquorem:
Te Duce, mitescunt impia corda, Vega.

Sed ad Nicolaum redeo. Hic Atellari fluminis ripas ad Bulchalem ponte coniunxit; Diui Georgij ædiculam in suis ædibus Diui Dominici claustris contiguam dotauit: Et, vt adhuc eius fama & publicis operis, & seniorum traditione commemorat, omni virtutum generę fuit insignis. tręs filias

nobilissimis viris dedit vxores: Claram quidem Gaspari Aragonæ Hyblæ, & Terranouæ domino, eoque mortuo Aloysio Richisensio, Aleonoram verò Ioanni Landolinæ, Ioannam autem Ioanni Nauæ. Sacellum beato Conrado construxit, vbi nunc sanctissima Eucharistia colitur: ibi eius tumulus è marmore fuit hactenus conspicuus, quamuis pontificum decreto bis depressus. hæredes constituit Nicolaum Antonium, qui Mariam Mainitti Landolinæ Burgij, & Villiscalæ domini filiam duxit vxorem, & Petrum Cassari oppidi dominũ. vectigalis fructus, quod Cannam vocant, quoniam vlnis lanea tela vanum data mensuraretur, in pauperum consanguinearum, vel ijs non existentibus, etiam aliarum matrimonium legauit. Quod vectigal ipsi Nicolao pignori olim traditum, à Ciuitate Netina quarto nonas Augusti an. sal. 1574. fuit redemptum. apparet per notam in contractus venditionis margine, apud notarium Franciscum Muscum, 7. id. Aug. 1469. cuius acta Francisco Ioanthomasio sunt commendata. Testatus autem apud Iulianum Carobenium obijt Neti 13. calen. Aug. an. Dom. 1498. tum Iuratus Ciuitatis, in cuius locum subrogatus est Vincentius Lampicciolus. in huius tumulo hoc epitaphium legebatur.

Stirpe Syracosia tumulo iacet hoc Nicolaus,
Qui patriam iuuit munere, consilio.
Hospitium hoc viuens hac condidit æde tonanti.
Vt possit moriens hospes adire Iouem.

Marianus Accardus fuit adeò in arte oratoria, & legum scientia exercitatus, vt complura pro patria, & pro episcopo Cephalœditano Romæ negotia summa vigilantia gesserit. Hunc ille præsul in Hispaniam nauigaturus accessit: sed Neapoli cùm esset, iam profectum episcopum inuenit, eundemq; Proregis monitu terrestri itinere secutus est. Sic Bononia ad Petrum Pipim Patauij studentem scribit, an. sal. 1510. Cùm tamen ad maiora aspirasset, ab Vgone Comite Montisleonis, & Siciliam pro Rege gubernante in aulam, vt esset à secretis, admissus est: tempore pestis fuit armorum præfectus apud Netinos. sunt quædam apud Lucium Marineum epistolæ ab eodem Mariano scriptæ, & plures etiam Lucij ad ipsum: quem quinto epi. lib. inter poetas, & oratores memorabiles annumerat.

Orlandus Auola in re militari terra, marique strenuissimus fuit Alphonso de optimo quoque viro benemerentissimo maximè gratus. aduersa in prælijs ab hoste vulnera accepta, vt fortissimos viros decet, honori duxit. Regiam classem quandoque pro generali præfecto gubernauit: & cum feliciter in eo munere aliquandiu se gesserit, arcis Netinæ præfecturam pro se, & hæredibus suis est assecutus, eius virtutes literis Regijs commendatas vidimus. Emit fœudum Mahegium in agro Syracusano, quod eius hæres, & ex filia pronepos Ioannes Baptista Scarroccia hodie possidet.

Ioannes Matthæus Sortinus in arte medica æqua-

æqualium præstantissimus fuit, ita quidem meritis exigentibus, ad protomedici Regij in Sicilia dignitatem promotus. nec defuit ope, consilio, & studio suis ciuibus. nam ciuitatis Netinæ orator in generali Synodo aliquot pro illis gratias exorauit, Die 11. Decem. an. sal. 1514. Meminit huius viri Philippus Garsia, vbi eiusdem dignitatis prædecessores commemorat. vidimus quoddam eius priuilegium, quo Laurentio Basilio Medico Ennensi chirurgiæ munus concedit exercere. an. Do. 1508. ibi se Netinum fatetur. commendatur peculiari laudum præconio à Ferdinando, quòd in Regio etiam Palatio suæ peritiæ, industriæ medendo præstantiam ostenderit. promotus autem est ad hoc officij Barcinone 3. cal. Iunij 1503. vixit ad annos Domini 1518.

Petrus Oddus in rerum naturalium, & scientiæ medicæ cognitione exercitatissimus in omni disputatione primas tenuit, promptissima instructus memoria: nihil fuit, quod in sua professione nesciret. eadem de caussa cæteri apud illum concertare formidabant. Duodeuiginti annis huberrima mercede conductus, & digniori laudis gloria Patauij publicè legisse dicitur. Hic quandoque emeritus miles in patriam regressus filio Gulielmo eiusdem professionis viro à studijs reuertenti, vbi Doctoris lauream fuerat assecutus, manum osculandam non permisit, nisi priùs diligenter examinatum tali patre, tantaque scientia dignum agnouisset. Aquilā

profectò

profectò imitatus, quæ pullos vngue suspensos solis radios firmo intuitu conspicari compellit, vt materna alimonia dignos admitteret: aliàs vngue dimissos, tanquam adulterinos deijcit.

Sigismundus Cappellus literas humanas cum sanguinis nobilitate coniunxit. fuit dominus fœudi Bonfalluræ: philosophicam vitam ab omni forensium caussarum strepitu remotam vixit: quamuis à multis heroibus accersitus maluit domi cum Musis latere, quàm inter splendidissimos proceres clarior apparere. leguntur eius carmina tanta poeticæ artis, & eloquentiæ venustate composita, vt antiquioribus poetis in elegiaco metro non cederent. Floruit sub Ferdinando, & Carolo.

Ioannes Manuella architectus suæ, superiorisq; ætatis excellentissimus. eius ædificia, quibus struendis præerat, fuerunt in tota Sicilia omnibus admirationi. Hic illa ornatissima, & pulcherrima Crucifixi sacella, quæ conspicientibus afferunt iucunditatem, extruxit. Quorum alterum, in quod altissimi Domini Crux lignea cum vetustissima imagine, quæ omnibus Siculis fuit admirationi, è medio templo translata est, nulli cedit artificio. Siquidem campanariam turrim, eamque peramplam, & altam sustinet, innixo altero crure ponti mirabilis etiam structuræ: adeò vt eximium opus hoc disticho ibidem insculpto commendetur.

Quid iuuat antiquos Asiæ memorare Colossos?
Quod stupeant Siculi, prouida Netus habet.

Perfectum est opus, an. sal. 1514. & ibidem crux est deposita, mense Martio. ibi hoc Sigismundi Cappelli carmen legitur.

Hanc ciues struxere pijs cum sumptibus ædem,
Ad tantam laudem nominis adde decus.
Cùm millesimus ibat, quingentesimus annus.
Et quartus decimus, finis in æde fuit.

Antonius Vinutus Netinus (vt ipsemet testatur) scripsit de agricultura opusculum, quod Friderico Patellæ Cameratæ Comiti dicauit, mira rerum naturalium eruditione elaboratum; quod denuò in lucem editum omnibus, qui arborum colendarum rationem callent, extitit gratissimum. scripsit an. sal. 1510.

Petrus Morales genitus est ex Ioanne Morale, & Francia Guasca, mense Apr. an. Dom. 1463. qui Ioannes fuit filius Martini Cordubensis, qui primus Moralium domum Neti fundauit. Accepit autem Petrus doctoris insignia Florentiæ tertio cal. No. 1493. vxorem duxit Angelam filiam Gulielmi Sortini & Margaritæ Cappellæ, dominorum Dibibinij Bimiscæ, & Chiarramij: plurimùm valuit in Regia Curia, suisque patrocinijs multas opes sibi comparauit, tertiò electus est Iudex magnæ Regiæ Curiæ. Cùm seditiosi aduersus Pignatellum Proregem insurrexissent, fuit à consilijs Elasci Lanceæ Vicarij, & armorum præfecti aduersus rebelles: adeòque fideliter se gessit, & prudenter, vt totius Regni Siculi patronus fuerit

electus: quo officio septem annos functus est diligentissimè. tandem ingruente peste Panormi decessit, & in sanctæ Citæ iacet: genuit Bernardinum, qui Ioannem Franciscum adhuc superstitem.

Anno salutis humanæ 1516. mense Ianuario Ferdinandus spiritum efflauit, nulla virili prole superstite. Successit Carolus ex filia Ioanna nepos, qui fuit postmodùm Quintus eo nomine Romanorũ Imperator. Cæterum post Ferdinandi mortem plures Neti, quemadmodum & alibi, rumores fuerunt excitati. nam seditiosissimus quisque aliorum tranquillitati inuidens fœdis clamoribus omnia miscebat, & aucto plæbeiæ fæcis contubernio, clamabant, qui Regem non habent, Regij tributi pensionem, quæ tum ex portione tripartita cal. Ianu. exoluebatur, præstare non oportere: Cùm verò iam exactam pecuniam Iurati re vera Panormi consignandam curassent, vulgusque ignobile factũ abnegaret, eisdem dominis, à quibus fuerat exacta, integrè restituendam contendebat. quod magistratus sedandæ multitudinis caussa promisit, imò & re ipsa præstitit. Nec sola hac insania contenti, arcem adeunt, Nicolaum Scarrocciam præfectum conueniunt, efflagitant omnes cùm ciuili, tum criminali caussa vinctos exoluendos, liberosque prorsus dimittendos: tantusque fuit tumultuantis populi concursus, vt Nicolaus repentino agmine perterritus Iuratos, & Prætorem accersendum iuberet. nec tamen illi fluctuantis populi clamorem

insolentemque strepitum mulcere potuerũt, quanuis modò minis, modò precibus niterentur. Emissi tandem sunt è custodia, qui æri alieno erant obnoxij, dato quadrimestri termino, quo Dominis satisfacerent: serui duntaxat retenti, cæteri quanuis pauci, dimissi hoc euenit 7. cal. Aprilis an. sal. 1516. erant iurati Blandinus Cappellus, Petrus Deodatus, Iulianus Risaliba, & Petrus Augustinus Pompeius. Postero tamen anno horrendum futuræ cladis prodigium Neti exortum est. Nam mula quædam subruffa (cuius sterilem esse naturã nemo ignorat), quam Petri Pregadij fuisse notarunt multi 16. cal. Sep. pullum est enixa, quo tempore multis seditionibus exortis vrbs Netina, imò & tota Sicilia in bella intestina, & ciuilem perniciem ruebat. Vtque toti populo res esset explorata in area fori peperisse ferunt. ea de re Petrus Pipis in suo de peste libello sic scripsit.

Ante tamen pestem fuit omen in vrbe per annos
Quinque ferè, nobis prodigiale fuit.
Mula ex se proprium fœtum produxit obortum,
Cùm viget in patria seditione furor.

Anno tum à virginis partu 1521. amplificata est area fori, tum ante ædes Diui Nicolai quantam nos pueri vidimus: (siquidem exinde grandiora sumpsit incrementa) tum etiam Crucifixi, quanta hæc modò cernitur, vbi & fornices, & tabernulæ, quas potiellas vocant, & propugnacula: quà præcipitem vallem spectant, sunt erecta: locũ

tum nundinis celebrandis, tum populi huc festis Pentecostes diebus concurrentis capacitati commodissimum. Scripsit & hoc Pipis facillimus poeta in haec verba:

Mille & quingenti bis denus it annus, & vnus,
Publica cum facta est ampla platea fori:
Virginis ad castrum tunc ampla fit area templi:
Aucta sui populi vix capiebat opes.

Eodem tamen tempore cum maiori posteri anni parte Netum, vt & aliae Siciliae Ciuitates grauissima, sauissimaque peste laborauit: Appulit enim huc nauis ab occidente infectis onusta mercibus; quae primum Drepani eas expositura eiicitur, mox Panormi, Messanae, & Syracusis, sparsa tanti mali, noxijque oneris fama, similem passa est repulsa. at hinc praetergressa ad stationem, quos fontes albos vocant, aliquantisper constitit. Confluxerunt eò quidā Syracusani supellectilis potius quam salutis auidi, & nautas iam esurientes pane reficiūt, ab eisque contrà multis munusculis cupiditatis oblectamento donantur. Hinc plures allecti paruo aere pretiosos tapetes, & vestes quasdam, caeteraq; eius generis mercimonia mercati occultam luem in vrbem sibi, caeterisque suis non mediocre damnum intulerunt. Quae occulta contagione imbuta, ita atrox venenum imbibit, vt adiuuari nullo modo potuerit. Hinc eadem lues (semper enim aliquid mali à vicino malo) Netinos adeò crudeliter afflixit, vt breui confecti vrbem ciuibus, & opum

mentis

mentis exhaustam deplorauerint. Plura enim hominum milia tum dicuntur extincta; quàm modò supersint, dicente Petro Pipe.

Milia sex numerus fuit is, qui deinde remansit.

Milia bustorum plura fuere decem.

Cœpit Neti mense Aug. & cum maxima annonæ caritate (comes est pestis fames) in totam æstatem sequentem consecuta est acerrime, vt quandoque vna die centeni morerentur, nec publici vespillones humandis corporibus satis esse possent. Hinc etiam (tanta erat infecti cœli grauitas) pecorum strages est insecuta, vt omnia penè bruta inter homines versata ceciderint. Cùm primùm autem conualuerint, ædem Mariæ virginis à victoria, quæ extat, iacere cœperunt: imperfectum tamen remansit opus, Senatu impediente, ne lata illa fabrica quandoque vrbi futura esset expugnationi, donec nostra tempestate parua ædicula accommodaretur. Scripsit hac de re Petrus Pipis, qui rebus omnibus non interfuit solùm, sed etiam præfuit, opusculum à filiis in lucem datum.

Vt primum atrocissimum illud contagium desijt, plurimi nobiles salutis caussa rusticati in vrbem rediere ciuilia negotia, & hæreditatũ iura composituri. Tum lego Vincentium Barbilatum Ioannis filium, & Mutij nepotem, de quibus suprà nonnihil scripsimus, fœudorum Billudiæ, & Catatausi sub Hectore Pignatello pro Rege confirmationem habuisse, mense Nouemb. an. sal. 1523. Hic Vin-

centius

centius absque liberis decedens Lisandram, & Antoniolam sorores habuit. Lisandræ quidem Petro Landolinæ nuptæ Billudia in dotem data est. Susceperunt filium Antoniolum Landolinam, cui est confirmatum priuilegium Billudiæ an. sal. 1531. Hic autem inter alios liberos genuit Thomam Landolinam præsentem eius fœudi Dominum, plurimis virtutibus inclytissimum.

Quamuis autem pestifera clades Netinorum insolentiam domitam habere potuisset, non tamen veteres nobilium factiones, & immania odia fuerunt extincta. mutuis cotidie vulneribus rubescebant, frequenter animas ad Orcum demittebant, & inter crebra parricidia delictorum vigebat impunitas, vt nec Iustitiæ locus esset, circumoberrantibus licenter factiosis, & domi tacitos, aut in medio etiam foro otiosos infanda morte, vel citra iniuriam acceptam, trucidantibus, nec pietas vlla esset saluti: adeò vt infausta illa tempora vulgari adhuc Bandulorum nomine dicerentur. Accidit interea, vt mense Iulio, an. Dom. 1527. Nicolaus Landolina quadraginta satellitibus stipatus vltimũ de Ioanne, & Petro Deodatis fratribus, pari nobilitate viris exitium sumpturus; cum domi continerentur, ostium iam clausum comburere aggrederetur. Quod & paulò antè fecerant Gulielmi Sortini Domini fœudi Dibibinij palatium sæuis incendijs fœdando. Petrus tamen audaci animo oppugnantibus obnitens e superiori muri parte sectũ,

& prægrandem lapidem deiecit. eo in equi caput illiso, quo Nicolaus vehebatur, multis saltbus ferocissima bestia huc illuc versa est. Quo factum est, vt cæteris adhuc ædium expugnationi intentis, Nicolaus aliquanto longiùs digrederetur. Qua occasione quidam ex Petri domesticis procul hominem conspicatus dextrum Nicolai talum glande traiecit. Quod vulnus adeò noxium, & lethale fuit, vt & solueretur obsidio, & Nicolao pes ille inutilis remanserit. Nec multò post à Bonainto tunc armorum præfecto captus est, & Biziniĳ sub fidibus cruciatus: liberatus tamen suæ domi, nobis pueris, naturali fato fuit extinctus. Eodem anno nonis Iuniĳ, die Sabbatho, innumeræ locustæ tenebris cœlum obduxere, & optima quæque ex frugibus, & foliĳs carpendo deuastarunt. Quę perniciosa immensæ cateruæ copia nõ Netinos modò, sed & alios Siculos afflixit: donec ab episcopis anathemate percussa interierit. Hoc etiam aliàs contigisse notauit Maurolycus. Pridie etiam idus Ianuariĳ ceciderat è cœlo quædam terra rubra, quæ totã telluris superficiem rubore sparserat: adeò vt imbribus sequentibus canales sanguinei fluerent necnon & præcedenti die insueta quædam caligo nocturnis tenebris haud absimilis diurnam lucem obscuris nubilis offuscauerat. certissimum seditionum, tumultuum, & patrandæ cædis, aliorumq́, scelerum, quæ eodem anno Netum, & Siciliam inuaserant, argumentum. Quid tamen dicam Netum, & Sici-

& Siciliam? cùm eodem anno direptam ab Hispanis, Germanisque militibus vrbem Romam, prophanata omnia sacra, ludibrio, & prædæ ecclesiasticos viros habitos, ad obscœnam barbarorum libidinem extractas è claustris sanctimoniales, obsessum tanquam in abiecto carcere Pontificem Clementem, grauissimam Christianæ pietatis iacturam totus terrarum orbis (vbi erat aliquod catholicæ Religionis studium) deplorauit. Sed ad Netinas calamitates deflendas reuertor. Eodem anno crudelissimè periit quædam puella Domina fœudi Frigintini, vnica patris hæres. Combusta enim est cum quadam vernula, dum ludit, applicito igni duobus cadis puluere nitrato plenis: ex quo incendio palatium veteres dominos adhuc deplorans prope forum iacet. factum, & verna persuasum dicunt nequitia Gotterræ Landolinæ patrui, cui post puellæ mortem fœudum succederet. Sed & ipse miserrimè Panormi obiit, 6. cal. Sep. Sic apud Petrum Pipem annotatum comperi. Eadem tempestate factiones inter Landolinas, qui vocabantur superni, & inferni, maius incrementum habuere: adeò vt plurimi vtrarumque partium ciues animas ferro efflauerint: plures etiam, & quod magis erat dolendum, quorum nulla erat culpa, opibus expoliati. Capita erant Gotterra, Ioannes, Nicolaus, Gulielmus Landolinæ, viri audaces, & indomiti, perinde ac nobiles, & diuites. Postero anno mense Ianuario decem dies cometa apparuit, 1528
à tertia

a tertia ad quintam noctis horam, ad occiduam insulæ partem vergens, cuius color albicabat. Mense Nouembri validus fuit terræ motus: eodemque anno vt plurimùm fœminæ Netinæ geminos suscipiebant liberos: adeò vt à senioribus nostris, tanquam rarum notaretur. Anno sequenti contigit 1529 *Neti, & in tota ferè Sicilia maxima frugum caritas modius enim tritici vænibat septem carolenis. notarunt hoc quidam tanquam prodigium aliquod: qui eam penuriam, quam nostra tempestate Sicilia, imò totus penè terrarum orbis passus est, non sensere. vidimus triticum alibi octo, alibi decem, alibi quindecim, & pluris, in singulos modios tarenis vænum dari. Nec tamen in ea annonæ caritate à pijs operibus vacatum est. exactum fuit hoc anno templi Diui Dominici tectum ex collatis nobilium, & ciuitatis eleemosinis: vt ipsa authorum stemmata ibidem depicta testantur.*

Anno salutis humanæ 1530. mense Octobri ingenti pluuia omnia flumina alueos suos egressa inundarunt. quod tempus fuit omnibus Siculis adhuc præ hominum, & locorum strage memorabile. tri duo iugiter pluisse inuenio, adeò vt excrescentibus amnibus multa viridaria ad fluminum ripas fuerint absorpta, multa ædificia collapsa, plurimi homines summersi: quod malum etiam Italiam vehementer afflixit. in tota item Sicilia maxima pecudum strages cæli intemperiem subsecuta est. Anno sequenti cometes cum radio à parte superiori

10.cal.

10. cal. Sep. apparuit: durauit autem dies vndecim. quin & postero anno alter cometa hora decima mense Septembri plures dies ad orientem spectatus est. Anno salutis 1535. post multas, & continuas duorum mensium pluuias, tertio idus, & pridie Februarij tuber quidem puluis è cælo delapsus est, adeò vt sanguis pluisse videretur. Eodem anno Netini, cùm superioribus temporibus in conciliis ineundis totius populi consensus requireretur, à Carolo Imperatore petierunt, vt deni nobiles, deni artifices, deni ex rerum peritioribus agricolis sufficerent. habitæ sunt literæ 10. Iulij qui annus Siculis, Italis, & Hispanis plurimum attulit lætitiæ ob Gulettæ arcis, & Tunetis vrbis expugnationem, & Caroli Regis in Siciliam aduentum, & coronationem. Per hæc tempora dum adhuc lis agitaretur à Netinis aduersus dominos fœudorum Combudi, & Risalini, Carolus Imperator proregi mandauit, si Netini à lite desisterēt, Hieronymus Platamo priuilegio ad oppidum ædificandum impetrato vti possit: sin secus, suo iure litem dirimeret. Datæ sunt literæ Toleti 15. Dec. 1538. fuit igitur pro Netinis pronuntiatum, quemadmodum & aliàs an. sal. 1486. die decimo Nouemb, literas Platomoni concessas nullas fuisse, nec iterum concedendas, & Netinos in antiqua possessione, & iure sustinendos. Sic item (quoniam res est persæpe repetita) Vega prorex mandauit Assuero filio Syracusis iura dicenti. Datum Messanæ

Sanæ die 5. Sept. an sal. 1556. Anno à Christi natali 1540. Ferdinandus Gonzaga prorex, qui & Netum venit, & Netinos admodum dilexit, & sub cuius administratione vrbs mœnibus, & propugnaculis fortioribus est munita, concessit quinque diebus posse apud Netinos sub dies festos Diui Conradi ab omni vectigali immunes nundinas celebrari. Datæ sunt literæ Panormi; inuenio idem confirmatum Messanæ ab eodem 10. Octob. an. sal. 1542. Ioannes etiam Vega prorex Drepani agens duos alios dies adiecit. quod fuit à Domini natali an. 1550. Quin & Ioannes Lacerda prorex Messanæ anno 1557. vnum alium diem adiecit: ita vt nundinæ à vigilia diei festi inceptæ per octauam à regijs vectigalibus immunes decurrant. Meminit harum nundinarum Maurolycus, nec alias tacuit, quas suprà explicui.

Carolus Imperator rediens à grauissima illa iactura, & naufragio, quæ terra, marique acceperat, dum incassum Algerium oppugnaret. in Hispaniam se recepit. Tum Netini per legatos Cæsarem consolati opes suas, & amica præsidia pollicentur. rescripsit ille summopere sibi gratam esse ciuium voluntatem, laudat fidelitatem, & amorem, ingeniosissimæ titulum scribendo confirmat, & se tantæ gratitudinis memorem profitetur futurum. Et quoniam nonnullis amicis placuit verba, quibus ille vtitur, ad literam subscribere, non grauabor & in tanti Imperatoris memoriam, & in nostræ ciui-

tatis

tatis commendationem amicis morem gerere. Et sunt: Amados, y fideles nuestros. Por cartas de Illustre Don Fernãdo de Gonzaga nuestro Visorey, y capitan general, hauemos entendido e l'amor, y affición, con que venistes a offerer nos vuostras casas, y haziendas luego, que supistes, loque en Argel accedio a nuestra armada, y exercido, lo que hostenemos en muy accetto seruitio, y lo agredecemos mucho, y tenemos per cierto, que offereciendo el caso, non dexaria de hazer essa ingeniosa ciudad, lo que sempre ha acostombrado, en todo lo que ha respetto a nuestro seruitio, y assi en lo que a ella se le offreciere, y le compla nos tendremos la memoria, que es razon de su fidelidad, y buenos seruitios. Dato en Valledolid a quarto dias del mes de Marczo. an. Do. M D.XLII. Io el Rey. Vries Secretario. Alos amados, y fideles nuestros los Jurados dell' ingeniosa Ciudad de Noto.

Cùm Iurati Syracusani, & Hieronymus Platamo dominus fœudorũ Almadaræ Risani et aliorũ, binas literas ab officio magnæ regiæ curiæ ratio nũ huius regni Siculi obtinuerint, alteras Messanæ die 8. Iulij, alteras verò 18 Aug. 1541. quibus impetrauerant fruges in dictis fœudis collectas vendi posse Syracusis: cõparuere Iurati Netini petentes, vt in antiqua possessione, & consuetudine capiendi, & vendendi pro Netinæ ciuitatis vsu, omnes fructus, qui in eius agro nascuntur, generantur, & fiunt, confirmentur, & defendantur. Prouisum

est binas illas literas reuocari, & Netinos in sua possessione, & consuetudine conseruatum iri. Datæ Panormi die 15. Decemb. 1541. Easdem postero anno Ferdinandus Gonzaga confirmauit binis literis iubens, & declarans fruges, & fructus in illis aruis perceptos Neti venditum iri oportere. fuit ad hoc obtinendum legatus Ioannes Candiczarus patriæ amantissimus, Anno sal. 1542. Idem prorex concessit, ne Netini milites in Syracusanorum subsidium cogi possent; propter locorum maritimorum propinquitatem. Nam sæpenumero contigit, vt nostri cùm pedites, tum equites ad pyratas è littore propulsandos descenderent. Datæ sunt literæ Messanæ, die 19. Aug. Eodem anno fuerunt confirmatæ literæ obseruatoriæ, vt in agro Netino seminantes ex omnibus oppidis finitimis, vt sunt Motycani, Ragusani, Inspicæ fundani, Palatiolenses, Buxemenses, Hyblenses, & alij, tertiam quanque purgati tritici partem in vrbem Netum vendendam ferrent: fœudatarij verò totum. fuit hoc iam à vetustissimo tempore statutum, quod & hactenus obseruatur, cum magna nostrorum ciuiũ vtilitate. Eodem etiam anno maximus fuit Neti, & in tota penè Sicilia terræ motus: ita vt senes nostri hunc annum à terræmotu cognominatum prædicent. fuit enim præ cæteris horribilis. multa tum ædificia corruerunt, multi relictis domibus sub dio, in speluncis, & antris dormiebant. Meminit huius Fazellus, præsertim eius, qui quarto

idus

idus Decem. hora 23. euenit, non Neti solùm, sed & in tota Netina regione, & plura distinctius enumerat. Cùm verò turcica classis an sal. 1543. Rhegium ferro, & igni vastasset, & Calabriæ oras populata esset, sex diebus Messanam obsedit: Netini ex vetusta cum Messanensibus amicitia amicas opes, & militaria præsidia eisdem obtulerunt. Sed Mamertini soluta obsidione liberati Netinorũ beneuolentiam, & grata studia laudantes rescripsere. Datæ sunt literæ. die 24. Iunij. hanc classem duce Barbarussa Rhegium fœdasse an. sal. 1544. memorat Fazellus: veriùs tamen Maurol qui singula hæc, quamuis superbius impendio describit. Anno Christi 1544. Paulus Quartus concessit Diui Conradi festum in tota etiam Sicilia posse celebrari. Romæ diploma obtinuit Frater Sanctorus Monachus. Postero anno à Iuratis habita est nota, & admonitio ædilibus de iustè, & fideliter examinandis ponderibus, & mensuris, & nequid noui Iuratis inconsultis decernerent. 1546. 12. cal. Nouem. magna apud hortos, quæ Durbo irrigantur, aquarum inundatio postero anno, mense Martio, decidit, subseditque solum cum tota mole templi Diui Antonij ad Durbum. stetit autem ædes, licèt aliquantum conquassata. transibat interea, quæ fuit hora 21. quidam mulio: at diuina ope inter tot ruinas euasit incolumis. anno 1549. 9. cal. Iun. erectus est in platea fons cum imagine Laocoontis. 1550. pridie idus Martij 8. ind. mortuus est Anto-

nius Aethiops, cuius vita fuit miraculis, & sanctitate illustris iacet Neti in cœnobio Minorum ab obseruantia.

Anno insequenti, mense Iunio Marchio Hieracensium Netum venit cum militaribus feudatariorum auxilijs, & cum cæteris Militiæ Vallis Netinæ equitibus. tunc dicitur quidam Turca Baptizatus in Crucifixi 18. Cal. Sept. per funem ambulasse. Nunc ad viros illos, qui suis meritis celebres Netinam patriam, & natalibus, & muneribus præclarè gestis illustrarunt, explicandos me confero.

Sanctorus cognomento Monachus fuit Abbas Cœnobij Sanctæ Mariæ Rauennatis, Ordinis Sancti Benedicti in Diœcesi Messanensi, quem multi seniorum nostrorū adhuc cognosse asserunt à Paulo Quarto Pontifice maximo obtinuit Diui Conradi festum etiam extra ciuitatem Netinam, & Syracusanam Diœcesim, vt beatorum, qui nondum ab ecclesia in sanctorū numerū fuerint adscripti, posse (vt aliàs diximus) celebrari, & imagines venerari. Datum est diploma Romæ 3. cal. No. an. sal. 1544. Hunc hominem maximè facetum, & iucundum fuisse asserunt. Occubuit autem Messanæ, an. sal. 1560.

Ioannes Petrus Cortisius Doctor Theologus prædicatoriæ familiæ fuit Romæ in generali sui ordinis synodo disputando celebratissimus: bis prior prouincialis cucullatos rexit in Sicilia, primò electus an. Dom. 1544. item secundò 1557. & quadriennio Dominicanæ familiæ maxima cum laude præfuit.

præfuit. mortuus est autem 19 cal. Decem. 1560. Michael Solonia summo loco natus eiusdem Religionis cultor, sacræ quoque Theologiæ professor in prædicando Dei verbo habitus est eloquentissimus. an. sal. 1534. electus est prior prouincialis, & biennio dignissimo cum honore munus exercuit. natus est, vt eiusdem manu annotatum legi, anno. Do. 1490. die 29. Sep. ho. 8 & an. 1503. Diui Dominici habitum suscepit. an. 1512. ad Sacerdotium assumptus. Dei verbum prædicare incepit. Mortuus autem est Neti 18. cal. Iulij, an. Dom. 1552.

Frater Ludouicus Netinus, cui prius à Donnis fuerat cognomen, Minister Prouincialis Capuccinorum in tota Sicilia primus omnium in hanc vrbem Religiosos illos induxit, an. sal. 1553.

Brandanus Terranoua diutissime in locorũ piorum visitatione peregrinatus, & in Sicilia, & in Italia ab integerrimæ vitæ honestate commendatissimus post plurima Dei, & pauperum obsequia (in his enim charitatis officijs omni opera, & studio nitebatur) Montabbodi naturæ cessit, & ad superna cælorum præmia quarto nonas Iulij, an. sal. 1558. euolauit. ibiq; præsule Senogalliensi coràm agente, clarum funus est elatum, & honorifico tumulo conditum, non sine omnium, qui aderant, & qui tantum virum ex animo d lerent amisisse, fletu, & luctu. Habentur Neti literæ consolatoriæ ab episcopo Senogalliensi ad Bernardinum fratrem, quibus hominis sanctitatem grauissimè commen-

dat, & quæ scribimus in sua Diœcesi gesta plenissimè testatur.

Petrus Pipis dominus fœudi Bonfalæ, V. I. D. poeta fuit clarissimus, quemadmodum omnia eius opera elego versu facundissimè scripta apud filium Marianum legi, digna quidem, quæ in tenebris nō conticescerent, nec tineis erodenda negligerentur. tantùm edita sunt, quæ de peste scripsit, qua Netini, cæterique Siculi sua tempestate laborarunt, & quæ de Aetnæ incēdio, præsertim an. sal. 1537. Cùm Patauio bellorum instantium caussa secessisset, in Maximiani Imperatoris exercitum incidit: cui à militibus cum alijs studentibus sistitur, sed professionis gratia cognitus liber dimittitur, natus est, vt ipse testatur die 28. Mar. an. sal. 1477. extat eius hendecasyllabum ad lectorem in solutiones contradictionum Antonij Zimaræ Venetijs impressas, 1508. anno Do. 1510. Ferrariæ Doctoris Lauream est assecutus. Migrauit ad Dominum Neto an. sal. 1542.

Ioannes Landolina Dominus Binouinorum armis inclytus cupiens sui roboris in re militari facere periculum ad Neapolitanum bellum aduersus Gallos pro Carolo se contulit cum Comite Barelle in Apuliam: ab Hectore Pignatello centum equitibus ab Hieronymo Grillo maturi iudicij viro, & eius legato electis præfectus est. interfuit prælio illi, quo Gallorum vires confractæ corruere, ibidemque, & ipsi morientes suo Imperato-

ri

ri victoriam pepererunt.

Ioannes Datus Dominus feudi Frigintinij fuit homo antiquitatum studiosissimus: nulla fuit seu Barbari, seu græci, seu latini Imperij historia quæ hunc hominem lateret: adeò dulcis, & suauis erat in loquendo, vt Atticam eloquentiam superaret: nulli non gratus, nulli non iucundus habebatur. Maximè Fazellum adiuuit de rebus Siculis agentem: qui tanti viri non immemor hæc habet sexto posterioris Decadis libro, vbi fabulosam de Maniace opinionem refellit: In ea igitur (inquit) hæsitatione diu versatus, cum anno salutis 1552. apud Neetū essem, eam Ioanni Deodato Frigintini domino totius antiquitatis studioso aperui. Is non modò mihi adhæsit, sed adiecit Antonium Minturnum, græcæ, & latinæ eruditionis præstantia insignem, Messanæ sibi librum græcè ex Seruatoris Cœnobio trāscriptum ostendisse, cuius author de gestis Maniacis vberrimè disserebat. hæc ille scripsit. Ioannes Petrum filium suscepit, qui Ioannem primogenitum, Nicolaum, Bartholomæum, Paulum, & Gotterram Ioannes in adolescentia excessit vita cui Nicolaus successit, hoc anno vita functus, dum prætorio munere fungeretur, à tota ciuitate præ morum honestate, defletus. eidem sine liberis decedenti Bartholomæus hæreditario iure in fœudorum dominio, & Proregis mandato in vrbis etiā præfectura subrogatur.

Sebastianus Veglia Cæsarei, pontificijque iuris-

consultissimus, omniumque quæ ad fœudales caussas pertinent, peritissimus, vel Blasci Lanceæ iudicio maximè commendatur. Cuius consilia, quæ scripsit plurima, & si in lucem non prodiere, sunt hodie Doctoribus penes se illa habentibus pretiosa. fuit autem patruus magnus Hieronymi Vegliæ in eadem facultate celeberrimi, quem postera ætas non silebit.

Iacobus Profectus Physicus, & poeta celeberrimus Neapoli multos annos, & Philosophiam, & scientiam medicam docuit: edidit Cantica quædam de verbo Dei quæ Paulo tertio dicauit, edidit Symposium de vinis, & quædam alia, quæ tacemus, quòd ad manus nostras non peruenerint.

Antonius Amarella Physicus multos annos Catanæ in publico gymnasio, & cum magna auditorum admiratione tum artem medicam, tum philosophiam publicè legit. Cuius mortem adeò doluere Catinenses, vt nullo cogente stipendij residuum hæredibus persoluendum, & Netum vsque mittendum curauerint.

Ioannes Scarroccia artium, & medicinæ doctor fuit in publicis disputationibus multi nominis: qui natus anno sal. 1487. Patauij insignia doctoris assecutus est, 1517. grandæuus à studio nunquam vacauit.

Bernardus Leantius poeta Comicas cæteris viris insigni scientiarũ præstantia præditis est annumerandus. Noua inueniendi solertia, lepideq; dicẽdi

genere

genere omnibus sui temporis antecelluit, & cum superiorum temporum primoribus est comparatus. Non solum suis Comœdijs nobilissimæ cuiusque Italiæ ciuitatis aures allexit, sed etiam dignus est habitus, quem & ipse Carolus Imperator audiret, & Franciscus Gallorum Rex inprimis auditum commendaret. Captus à Pyratis habita Constantinopoli recitandi venia & sibi, & socijs libertatem redemit. ferunt hodie in pretio esse Octauium eiusdem filium paternæ artis hæredem.

Ioannes Antonius Saracenus Panormi plures annos fideliter negotiatus multas sibi diuitias comparauit, quas tamen in pia opera testatus iussit expendi in paupercularum præsertim nuptias, cuius rei negotium Rectoribus Confraternitatis Spiritus sancti apud Netinos legauit. eiusdem etiam templũ instaurauit. in cuius fidem hoc Sigismundi Cappelli in ipso ostio carmen insculptum legitur.

Hæc Sarracenus moriens pia templa parari
Iussit, quæ magnis sumptibus acta vides.
Vt quoniam cunctis meritus mortalibus ille est,
Quà bene de superis, & meminisse queat.
Nobilitauit opus Saraceni sumptus, & ædem,
Qui pius huic templo se, & sua cuncta dedit.
Quintum aderat lustrum seclis ter quinq; per actis
Post opus exactum, lapsus, & annus erat.

Sub Rege Philippo, cui Carolus an sal 1556 16 Ianu. viuens Regnum contulit & cui feliciores dies imprecamur, pauca quædã historia digna sun

anno-

annotanda. Nunquam enim tranquilliora tempora Netum, vel Sicilia vidit; hac tempestate opulentiores Siculi effecti; & pluribus laribus oppida creuerunt, & celsiora ædificia tum publica, tum priuata sunt erecta. Vt primùm igitur Fridericus Henriques Regis Procurator Messanam venit, missi sunt à Netinis, quemadmodum, & ab alijs populis, qui in Generali Procerum, & Legatorũ consessu fidem Regi iurarent, & priuilegiorum confirmationem impetrarent. quæ omnia eodem anno gesta sunt.

Quo tempore mense Martio, tanto æstu terræ laborarunt, vt præter consuetudinem sal in littoribus concreuerit, & 9. Cal. Apr. sal nouus in medio foro vænierit. Tum multæ piorum hominum processiones Hybla, & Syracusis Netũ ad Crucifixi, & Beati Conradi venerunt, cùm multa sanguinis effusione, superos placaturæ. Laboratum est etiam tritico: quod valebat (& vix inueniri poterat) tt 4. 2. 3. in modium. sequentis tamen æstatis annona fuit Dei gratia fertilis. Hoc apud Petrum Costam Tabellionem. Quantò autem aridior fuit hic Martius, tantò humidior insequens, nam 15. Cal. Apr. insuetis imbribus, iugibusque procellis depluit, & vix quinto die vehementia pluuiæ desiit. tum collis creteus ab Amore Durbi traiectui imminens corruit qui locus modo ab ingenti subsessu Gigantis fossura dicitur. Decidit autem 11. Cal. Apr. Anno etiam insequenti idibus

Octob.

Octob. adeò copiosè pluit, vt immensis imbribus flumina alueorum limites prætergressa maximum in modum, & penè incredibilem excreuerint. Et ingenti clade multa animalia, et ædificia affecerint. Omnes domus molarum aquatilium, & omnes officinæ Balnearum lanarum, & infectorum tergorũ dirutæ sunt, et lapides absportati, multa nemora solo excisa, plures vineæ vel radicitus euulsæ, vel arena obrutæ. quin etiam (luctu dignum) inuenti sunt boues, cæterique pecudes, quos amnium impetus abduxerat, in nucum, quercuum, & altissimæ cuiusq; arboris verticibus exanimes. Altero ab hinc anno 9. cal. Maij Neti parentatum est Carolo Imperatori.

Anno Domini 1559. & sequenti, plurimæ, noxiæque febres humana corpora infestarunt, quarum nonnullæ nigricantibus maculis affectam cutẽ inspergebant. plures etiam morbi in gutture, vt nonnulli oppressis faucibus interirent, adeò vt magna hominum clades extiterit. Anno 1560. Comitia fratrum Minorum ab obseruantia Neti sunt habita. quando adhuc florebat magister Archangelus Messana eiusdem ordinis, vir omni disciplina, & virtute præditus. plurima hic opera composuit, sed obscuris characteribus annotata, & quæ vix ab vllo legi possent, tineis. sunt derelicta: multa tamen adhuc. integra visuntur in prædictorũ fratrum Cœnobio, & Bibliotheca. An. Dom. 1561. die 25. Sep. Messanæ, à Ioanne Cerda Prorege impetra

ta est venia vniuersitatis Palatium fabricandi. quod locupleti quidem ædificio, Dorico, & Ionico opere cœptum adhuc tamen intermissa aliquot annis opera supremam manum desiderat. An. sal. 1565. 16. Cal. Iunij numerosa Turcarum Classis Melitam appulit, validaque mari, atque terra obsidione cinxit: at Diui Ioannis Militibus strænuissimè propugnantibus, quintò post mense, vt primùm plurima Militum manus, fortissimumque subsidiũ è Sicilia profectum insulam attigit accepta grauissima multis prælijs strage obsidionem turpiter soluit. Classem in regressu nostra Maria relegentem conspeximus sexto Idus Septembris. Interea viginti Militum signa ex alijs oppidis euocata Neti in vrbis, & vicinorum locorum præsidium sunt disposita, vt quò magis necessitas vrgeret, contenderent. adfuere plurimi proceres, qui exercitui, rebusque gerendis præessent: inter quos Carolus Vigintimilius fæudatariorum Militiæ præfectus, Comes Motycanus, Comes Vicarensis, & alij. Secundo ab hinc anno, Mense Aprili, habita sunt Neti Comitia Prouincialia Ordinum Minorum, quos Conuentuales appellant, Regente Prouinciam Magistro Iosepho Bonasia, Netinorum, imò, & omnium Siculorum ornamento amplissimo. Anno Domini 1569. Hieronymus Landolina vir, & sanguinis nobilitate, & animi dotibus Illustris vrbi præfectus plurimos, latrones vel in agris, vel etiam in medio foro captos in vincula coniecit. suis ille vernis instru

ctus

ctus multorum etiam nobilium, qui furtorum participes latrunculis fauebant, superbiam fregit, & Vrbem Netinam sordidissimo hominum genere, & immanibus contubernijs depleuit. Eodem anno 10. Cal. Ianu. Carolus Iauantes Dominus Buxelli huius ciuitatis amantissimus tum etiam iuratus legatus adit Marchionem Piscariæ proregem tum Catinæ agentem, ab eodemque obtinuit nequis peracto officialium scrutinio à magistratu priuatim idoneus censeretur, qui aliquod in Rep. munus exerceret.

Anno salutis 1573. mense Nouembri, peractis Deo gratijs, publicè incensis hora vespertina facibus, Tunetis expugnationem per Catholici Regis Philippi duces gratulati sumus: quemadmodum proregis literis iubebamur. Secundus abhinc annus plenus fuit luctu, & tumultu. dicam prius, quod priuatis domibus accidit. pridie cal. Ianu. repentino interitu excessit è vita Ioannes Bernardus Boreas, à quo sacris vndis infans à virginis partu 1550. pridie cal. Ianuarij ablutus sum, vir quidem multiplici doctrina clarus. vt qui cantu, & sono fuit suauissimus, & poeticæ artis admodum studiosus. cùm sacris vestibus indutus matutinum sacrificium esset oblaturus, in ipso sacrario concidit apoplexi, semianimisq; sublatus paulò post domi est mortuus. Cui Petrus, frater quidem dilectissimus, quale doloris grauitas permisit, hoc epitaphium condidit.

Quid

Quid Boreæ plectrum? quid dulcis Musica? deflet.
Cur? iacet author humi. spiritus astra terit.
Secula quindecies, ter quinaque lustra fluebant,
Ictus apoplexi flamen vt ipse perit.

Sexto vero nonas Iulij, hora vigesima secunda, numerosa Turcarum classis, Ductore Hucciali Christianæ fidei apostata, prope littora nostra apparuit, quæ ad Gulettæ, & Tripoleos expugnationem à suo mittebatur Imperatore, nulli antea Siculorum præuisa, vel præcognita. populo, & Didaco Syluæ armorum præfecto Petrus Pulichinus Hyblæ rediens primus omnium nuntiauit: sed cui nullus, iudicans fortaßę delirũ, fidem habebat: donec res ipsa maximo cum omnium tremore veracius, & ardentiùs loqueretur, & subinde Syracusis nuntij opem, & præsidium rogitantes aduentarent. Vocantur Campani æris sonitu ciues: equites, peditesque ad maritimam oram tutandam iussi de more descendere. Sed quid adeò exigui numero aduersus Imperatoriam instructissimamque classem poterãt conari? auxerat tumultum, & formidinem aduersus ab Austro ventus, quo nauigantes citra Pachynum coacti sunt subsistere, quapropter multi milites tum aquaturi, tum prædæ etiam intenti propiores regiones populaturi iussi appellere, & desilire. hinc palantes, & prudenter in nostrorum damna euagati multas segetes, multos frugum aceruos (miserabile visu) concremarunt.

Tum siue maior debito audacia, siue combusti

commeatus misericordia, iusta indignatione, & ira comista, equitum primores mouit (nam pedites in vrbis præsidium se receperant) vt tantæ multitudini ausi obsistere, multos frugum cumulos ab incendio defenderent, multos hostes à tam nefaria flamma depellerent, quin & trucidarent, captosque in victoriæ signum traducerent. Celeberrimum fuit M. Antonij Laurificis nomen, qui & virili animo, & Dei numine potius, quàm humano robore fretus, sæpius in consertos hostes irrumpere, sæpius palantes ausus compescere, plurimos morti dedit. Mira ductoris Didaci in tot laboribus patientia, & insignis fortitudinis præstantia: qui quamuis, & Motycanos, & Syracusanos equites iam vicinos in auxilium frustra accerseret, paucis tamen equitibus deductus forti animo tot hostium milia propulsauit, neve latiùs vagarentur, obstitit. Cùm verò Asiæ classis Pachynum superasset, nostris à cauda per littora insequentibus ecce iterum austro flante vela vertunt, & quasi dedita opera ad Hyblensium littus appellunt. quò pluribus militum milibus immissis incunctanter Hyblā metu perculsam, & incolis derelictam, qui Netū omnes cum sanctimonialibus & sacris aufugerant, nullo obsistente inuadunt, diripiunt, incendio fœdant, Saccharum omne ex arte exportant, & abeunt. nostri equites, vbi diuturno labore fessi Hyblam præuenire non potuerunt, per montana à superiori Ciuitatis porta Netum se recipiunt. Vbi

maximus rumor erat, timentium ne hostes Hybla Netum accedentes aggrederentur. Nonnulli formidine perculsi, auro, & argento, pretiosaque supellectili vel in cisternis abdita, vel secum asportata, vrbe derelicta, in qua longè tutiores natura loci muniti esse potuissent, & pro qua propugnando mortem expetere debuissent, per valles, & rupes in vicinos montes fugam, & salutem sibi parandã sperauerant. Didacus verò, qui fortissimum ducem deceret animo, & præsentes ab egressu prohibuit, & iam egressos redire compulit, dispositisque per mœnia militibus, cui rei vel Religiosi strenuam operam nauabant, vrbis defensioni acerrimæ se accinxit. nec tamen aliud fuit necesse. nam classis secundo vento prætervecta ex littoribus nostris exiliuit, & formidolosis metum omnem excussit. Tum verò maior visa est nostris Netinis pernicies. quòd tanta equitum, peditumque huc ex oppidis montanis copia confluxit, quantam triduo hoste nostratia, & Hyblensia arua vastante desiderauimus. iussi tamen omnes coacto exercitu hostilem classem propiùs insequi, vt iterum è nauibus descẽdere audẽtes inhiberent. at illi in Africam traiecti Felici Marte, paruoque negotio, & Gulettam demoliti sunt, & Tripolim Barbarorum Imperio restituere. Insequenti anno pessima omnium pernicies Siciliam inuasit, pestem inquam inopinum, & implacabile malum: quæ primò Lilybetanam oram, mox Peloriam, & Pachymiam inuasit, & plura

corpora

corpora lethali vulnere prostrauit, quàm integra, sæuissimas eius manus euaserint. plures etiam annos per plurima oppida euagata vix inhiberi vix depelli, & extingui potuit. Maximas tamen gratias Deo, & beato Conrado benemerentissimo patrono Netini debent, qui pluribus, licet infectis populis circundati tantam tamen stragem diuino fauente numine effugerunt. Laborarunt Syracusæ, laborarunt Leontium, Ferula, & alia oppida propiora: exhaustæ penè remanserunt Motyca, & Ragusa: at Netum, quamuis suspectos equites hospitatum, & vicina lue non securum, cùm ciuium vigilantia, tum superùm protectione seruatum est immune. Tum figuris, & pio cultu exornata est Diui Sebastiani ædes, iam olim superiori peste anni vicesimi secundi supra sesquimillesimum amplificata, & in quodam sacello hi Francisci Ioanthomasii poetæ quidem non contemnendi versus leguntur.

Immunis Netus, dum cætera peste laborant,
Hanc coluit precibus, diue decore, tuis.
Secula sesquidecim, quindenaque lustra, bis annus,
Sexta quoque inditio, prima Nouembris, erant.

Nec obiter tacebo eiusdem carmen, simili diuorum figura eiusdem templi conditum, quo Roccho, interroganti Sebastianus respondet, in hunc modum.

Quis te vinxit? amor. cuius? qui cuncta creauit.
Alges nudus? amans tempus in omne calet.

Heu quid habes? pẽnas, quis prębuit? author amat?
Ista mereris amans? hæ peramantur opes.
Pennas tela vocas? es forte bipennibus histrix?
Sunt animæ pennæ spicula quæque vides.
Quid pennatus agis? volito: quò tendis? ad astra.
In vinclis volitas? vincla volare sinunt.
Opto sequi. plumesce, polum volitabis. & vnde
Plumescam? aduersum fer patienter onus.
Dante feram Domino, sunt pennæ aduersa tonãtis,
Aliger efficitur spiritus ipse quibus:
Sideribus potitur patiens, his scanditur alis.
Dum dolor ossa quatit, spiritus astra petit.

Anno sal. 1574. *cal. & quarto nonas Ianu. copiosa pluuia adeò inundauit, vt pontem nouum Atellari præcipitarit. fuerat is circiter ducentis annis a Guccio Florito ouium ditissimo constructus.*

Anno salutis 1577. *septimo idus Nouembris, ingens cometa, hora prima noctis apparuit, quo nusquam ardentior, vel maior crinita stella est conspecta. Visa est subinde altior ab occidente, & primo crepusculo, diutiusque durauit, quàm vt similis aliàs legeretur, nam ad mensem vsque Martiũ effulsit. Memorandam arbitror Hieronymi Sortini diligentiam, & dignam tanto viro animi firmitatem. Præfectus enim vrbis anno sal.* 1578. *quinto cal. Octob. cepit Antonium Laurentium, & eundem Netinum multi nominis latronem, vt qui audacissime grassatus plures triginta viros, nec tale quicquam merentes interfecerat. Coniectus in*

carcerem multorum custodiam iam fefellisset, nisi & Neti eiusdem Prætoris, & Leontij Ferdinandi Pradi vigilantia præsto fuisset. Panormi tandem suspendio enectus meritas pœnas luit.

An. sal. 1578. translatum est Cœnobium Carmelitarum, in templum Diui Martini Gilberti Isfaris, & Coriglis Episcopi Syracusani permissu, qui ius visitandi sibi reseruauit. extat etiam consilium apud Curiam Iuratorum, 17. Cal Iulij 1586. deducta est imago Beatæ Virginis cum tota illa parietis parte, in qua fuerat depicta. Conuenerunt clerici, & laici omnis ordinis in maxima frequentia: præcedebant instructa acie milites fistulas suas passim exonerantes. Anno 1580. Patres Eremitani derelictis sedibus Prioribus in ædem Diui Mauri sunt accepti, habita venia Ioannis Episcopi Syracusani, qui libere, nullave habita reseruatione concessit: habita est etiam huius rei Synodus apud Iuratos.

Anno Dom. 1581. habita sunt Neti Prouincialia Capuccinorum Comitia ex omnibus Siculis domibus, ab octauo Cal. Ad pridie Calen. Februarij. Octauo autem idus Aprilis Comitia Fratrum Minorum. Multis diebus disputatum est, & commendata præ cæteris Michaelis Calui solertia. Anno Dominicæ Conceptionis 1582. qui primus fuit ex annis per Gregorium Tertiumdecimum correctis, amplificata est area fori, & multò latior effecta vicinis ædibus plurimum splendoris adiunxit, ipsiq;

vrbi, vt videre licet, & aduenarum sententias exaudire, non parùm attulit ornamenti. Anno 1584. *argentea Diui Conradi arca completa est, & in ea vetus cum eiusdem reliquijs condita: exinde circũducitur per vrbem argentea. Eodem habita sunt Neti Comitia Prouincialia Diui Dominici: quo tempore Magister Ioannes Cappellus, qui tum Prouinciæ Vicarius fuerat, prior Prouincialis, est electus. Laudata est huberrima munerum ex omni Collegio, & confratrum (vt vocant) consortio copia, & quidem maior, & lautior, quàm alibi in tota Sicilia patrum memoria constaret. Inter alia nauis quædam mira arte fabricata ab his, qui Diui Ioannis templum colunt, quæ pauco labore terrestri itinere vecta, velis, remisque ornata, & grandi commeatu onusta fuit omnibus iucunda. Cæterùm iam à nonagesimo supra sesquimillesimum annum ad biennium sequens tanta fame in tota Sicilia (vt alias Prouincias taceam) laboratum est, quantam nec veteres quidem populi sensere, nec humana ingenia potuerunt excogitare, nulla ætate carius fruges venisse constat. Sed quid dicam fruges, cùm & legumina & oryza, & plantarum semina, & fructus, quin, & radices, & herbæ ipsæ ad sedandam Esuriem, vulgo pro pretiosis epulis haberentur? nunquam plura furta, & latrocinia commissa sunt, imò, & ingenuarum puellarũ adulteria, & stupra, quæ alimoniæ gratia honestatem suam obscænæ libidini venditabant: multi populorũ tumultus ex-*

orti, plurima seditionum, & rebellionum semina cõcitata, exposcentibus omnibus panem. miserrimum erat pauperculorum facies, carne denudatas, & solùm ossibus cutem inhærentem gestantes, horrendæq; mortis imaginem præseferentes videre: adeò vt nec prodire, nec stare quidem possent. plenæ erant semitæ iacentium turba, & iam moriendi finem (quoniam, & viuendi limites transgressi videbantur) expectantium. Multa denique hominũ milia desiderata sunt, quæ longa inedia vitam cum morte commutarunt. Qui paulò locupletiores erant triticum ingenti pretio præstinantes (nam pluribus in Ciuitatibus, & oppidis 15. & 18. tarenis in singulos modios, & pluris, vendebatur) ad extremam inopiam sunt redacti. Non est autem suis laudibus fraudanda Netinorum vigilantia, præsertim Bartholomæi Dati, Ioannis Iacobi Cappelli, Francisci Landolinæ, & Orlandi Sortini Iuratorum diligentia, qui 18. ferè mẽsibus ea de caussa Ciuitatem prudentissimè gubernarunt. Hi collecto ex Netinis agris tritico vndecunque potuerunt, aliud coemptum adiunxere. Quo factum est, vt Netini vt summum, senis tarenis in modium comparato frumento vescerentur. Cùm tamen omnia horrea essent exhausta, missi sunt Vincentius Pipis, Dominus Stallaini, & Franciscus Morales, quorum opera factum est, vt post multos labores populum iam extrema formidantem affatim refecerint. At (pro Dei, atque hominum fidem) tantam

annonæ caritatem immanior clades est insecuta, vt proxima æstate, quæ fuit anno 1592. plurimi non solùm pauperes, qui sordida viuendi ratione impurum contraxerant alimentum, sed plures etiam alij ex nobilioribus, & pinguiori fortuna viris, quibus necessarius victus non defuerat, vel ex cæli grauitate, vel ex naturalium humorum intemperie (vt medici ipsi in hoc iudicando sibi etiam inconstãtes, & in medendi methodo incerti,) vel potissimum ex diuina voluntate ex humanis abierunt. adeò vt plura incolarum milia afflicta tot calamitatibus Sicilia deplorauerit, quàm vel hostili ferro vastata, vel immani lue confecta aliàs ingemuerit. Quod equidem non sine graui dolore cogor explicare. Siquidem inter sæuissima aliorum funera, inter acres meæ persecutionis labores dilectissimum mihi fratrem, & præ medendi peritia, morumque honestate toti Ciuitati charissimum Petrum, mearum miseriarum leuamen, & vnicum domus meæ subsidiũ amisi, qui lethali morbo correptus intra paucos dies idibus Iunij Deo spiritum reddidit. Cuius fortis in moriendo animus, & Christiano viro digna pietas, necnon plenæ dilectionis admonitiones cum iusto quamuis exiguo totius vitæ compendio, adeò præcordijs meis fixa adhæserunt, vt nullæ deliciæ, nulla locorum amœnitas tantùm doloris abstergere, nulla temporum vetustas tanti viri memoriam delere possit. Quapropter terminatis iam annalium nostrorum monumentis, & fluentibus ex oculis la-

lachrymis, huic orationi terminum imposituris nonnullos viros memoratu dignos, qui sub Philippo floruere, liceat subiungere.

Iosephus Bonasia Ordinis Minorum, licèt humili loco natus, tanta fuit ingenij viuacitate, tanta bonarum virtutum indole præditus, vt quamuis aliena ope non adiutus, ad Theologiæ tamen insignia adipiscenda feliciter, & meritò properarit. Panormi mense Decembri, an. 1564 prior in Sicilia Prouincialis electus triennio prouinciam summa cum laude administrauit. tum an. sal. 1570 Cum duobus sequentibus in Apulia Diui Nicolai prouinciam Sanctissimè gubernauit. Assisinati Cænobio præfectus est, vbi Diui Francisci corpus honorificè requiescit. Neapolitanam etiam custodiam à suis superioribus demandatam, maximi quanquam laboris opus, tranquillo statu peregit. Nec minus publicè, priuatimque legendo fuit suauis, quam suos cucullatos regendo iustus, & fortis. A generali patrum sui ordinis Synodo ad Summum Pontificem Pium Quintum legatus in Campania Episcopoles Cathedras recusauit. Tandem Leontij, dum concionaretur, Commissarius an. sal. 1576. defunctus est, & Neti in Diui Francisci sub marmorea suæ imaginis tabula sepultus iacet.

Antonius Specialis Sacræ Theologiæ professor Prædicatorum Ordinis, fuit socius, & scriptor eiusdem Ordinis Prioris Generalis, dum totam Hispaniam visitando peragraret, inde in Comitijs Gene-

ralibus Romæ habitis electus est definitor, mox Viterbiensis Inquisitor: demum fuit electus Prior Prouincialis Siciliæ, quod fuit anno salutis humanæ 1575. eamq; Prouinciam sexennio gubernauit, mortuus est Neti sexto Cal. Mar. an sal. 1593.

Ioannes Cappellus eiusdem Ordinis, & Professionis in demortui Prouincialis locum Vicarius in Sicilia est subrogatus anno sal. 1583. Septimo idus Octob. subinde propositis Prouincialibus Comitijs Neti mense Maio, maximo cùm Ciuitatis, tum Religiosorum applausu electus est Prouincialis, & Biennio rexit. adhuc viuit.

Albertus Pipis Magister eiusdem Ordinis, non minori, quàm superiores, generis nobilitate præfulgens, an sal. 1586. Cameratæ Prior Prouincialis electus biennio Prouinciam tenuit.

Clemens Netinus è Laurentiorum familia, Capucinorum Ordinis, an sal. 1590. Pridie idus Ianu. Syracusanæ Prouinciæ Minister electus, & iterũ, atque iterum confirmatus adhuc idem munus Sanctissimè gerens viuit.

Michael Cassarinus Ordinis Apostoli Petri Sacerdos, fuit Theologiæ, & rerum ecclesiasticarum peritissimus, in casibus ad conscientiæ examen pertinentibus declarandis Apollinis oraculum est habitus. Scripsit opus quoddam de verbo Dei miræ subtilitatis, & facundiæ, vbi nullum penè est Sacræ paginæ vaticinium, nulla figura, quæ hic non explicetur. Fuit Sanctorum Patrum studiosissimus,

mus, & memoria agillimus, quicquid legeret, retinebat. Extrema senectute confectus (dicitur enim nonagesimum ætatis annum vixisse) è vita migrauit an. sal. 1581.

Vincentius Landolina Mainitti filius Rinaldi nepos, pater Iosephi Landolinæ, & Ioannis Vincentij dominus fœudi Burgij, omni virtutum præstantia fuit Illustris: in Senatorijs consilijs, politicisq; administrationibus admodum instructus, & certus. Plurimi valuit apud Ioannem Vegam, & apud Ducem Methymnensium & Garsiam Toletum Siciliæ Proreges. A Toleto Generalis exercitus Thesaurarius fuit constitutus, quando ad Melitam Asiatica obsidione leuãdam nauigatum est. an. Do. 1574. *migrauit è vita.*

Bernardinus Sortinus, Hieronymus Specialis, & Antonius Landolina, hi tres milites Hierosolymitani fuerunt, sub Diui Ioannis Baptistæ patroni vexillo, & Religione Militiæ operam nauarunt, in grauissima illa, & memorabili Melitensium oppugnatione, quàm suprà memorauimus, pro fide, & Religione fortissimè certantes, non tamen inulti occubuere. Meminerunt horum, qui Melitense bellum scripserunt.

Iosephus Scala Medicus, & Philosophus præstantissimus tanta ingenij agilitate valuit, vt pluri mas scientias sine præeunte lectore didicerit. græcis, & latinis literis ornatissimus in multis Italiæ vrbibus disputando acutissimus est habitus. natus

est

est an. sal. 1536. die 28. Aug. Doctor effectus, & declaratus Pataui 1556. 16. Iulij. Quando tamen buberiora eius solertia argumenta expectabantur, annum agens 25. iam multò ante sui fati præscius abijt ex humanis 7. Idus Iunij. Duo opera scripsit alterum in Dialectica facultate, alterum verò in arte medendi: quibus morte præuentus vltimam manum non imposuit. Nec autem minori ingenio præditus, nec prosperiori fato vixit Iosephus Scala posthumus: quantò tamen in linguæ ornatu, & naturalium rerum cognitione (quanquam vterq;, & Philosophus, & Medicus) patre fuit inferior, tantò in Mathematicis disciplinis, & certis multarum rerum prædictionibus superior. namque (mirum naturæ opus, imò indubitatum Dei munus) Geometriam, Astronomiam, & Arythmeticam ex sese didicit: Et quarum non fuerat discipulus, Syracusis, Catinæ, & in Gallia togata (quò suasu, & ære Illustrissimi Domini Michaelis Spataforæ Rocellæ Marchionis Medicæ scientiæ operam nauaturus se contulit) profundissimus extitit Magister. Ephimerides 12. ant. cōposuit, & in Manginū Apologiam: qui libri dati sunt in lucem. Quædam alia aggressus properante fato reliquit imperfecta. Mortuus est Sabionetæ, quò fuerat à Duce conductus, anno suæ ætatis vigesimonono. quod & ipse sibi pluribus annis præsenserat: quo tempore publicam Mathematicæ in Patauino Gymnasio lectionem recusauerat.

Maria-

Marianus Pipis Petri filius, dominus Bomphalæ, cùm biennio publicè, & Dialecticam, & Auicẽnam legisset, Patauij an sal. 1555. nonis Nouemb. sub Gabriele Falopio Medico, & Philosopho præstantissimo, vt vulgata eius opera sunt documento, Doctoris Lauream honorificentissimè est assecutus. Dignus, qui & fama, & re celeberrimus inter præstãtes Medicos annumeretur, cùm alter Hippocrates Neti sit habitus. natus fuerat quinto idus Ianua. 1527. hora nona, vt à Petro eius patre annotatum inuenio, dignus quidem tanto parente, & cuius ortus non taceretur. mortuus est Neti 4. Cal. Decẽb. à Christi Natali anno 1591. testatus apud acta Clerici Vincentij Laurentij hos versus à se conditos tumulo incidendos, mandauit.

Hic sua stirpe Pipi Marianus condidit ossa:
Voce tubæ extrema surgere certa die.

Iosephus Melfius vir fuit ingenio solertissimo: vt qui patriam deserens, opibus penè destitutus, tanta diligentia Philosophiæ, & Arti medicæ, operam dedit, vt clarissimus in vtraque euaserit, & Doctoris insignia sibi comparauerit. Quamobrem præclaris meritis ita exigentibus apud Mediolanẽses Protomedici dignitate fuit ornatus, ibidemque in medio ætatis flore mortem oppetijt.

Ioannes Humana vir Politicæ Scientiæ peritissimus tantùm in Regia Curia patrocinando, et cliẽtum caussas acutissimè dirigendo valuit, vt cùm plurimas opes, tum maximam gloriam sibi compa-

rauerit, meritoque inter primos Cæsarei iuris alumnos haberetur: dignus subinde, quem hominum memoria diutissimè complecteretur. Auitam professionem simul cum præclaro nomine, & cognomine assecutus est Ioannes alter Humana dominus fœudorum Prati, & Giommariæ non imparem illi gratiam, & laudem assecutus, dignus quidem, quem patria Procuratorem susceperit.

Hieronymus Magnanus Musicus fuit clarißimus, qui sine Doctore adeò in sonandi facultate valuit, vt omnibus admirationem attulerit, à Marchione Piscaræ, & M. Antonio Colonna Proregibus maxima cum voluptate fuit auditus, & præclarissimo quoq; Musico non inferior existimatus. Noua quædam instrumenta non sine harmonica ratione adinuenit: opus de sonandi ratione melice composuit, & numerosè. Quando verò meliora in dies ab eius ingenio sperabantur, adhuc iuuenis animã efflauit an sal. 1583.

Sunt, & alij bonarum artium studiosi, quos olim nominandos non dubito. nobis hæc dixisse satis est. Siquid est, quòd ad res Netinas pertinens omiserim, siue quòd oculos nostros effugerit, siue aliorũ incuria nobis ignotum curiosiores annotabũt. Hæc inter multiplices labores currenti calamo, collecta patriæ studiosi æqui, boni que consulant.

FINIS.

AD LECTOREM.



AEVIMVS in mandatis candide lector à Senatu, populoque Netino, vt & Netinas Consuetudines, municipalia iura, sub Rege Petro Secundo literis traditas, & hactenus, prӕterquàm in paucissimis, plenè obseruatas, eodem typo excudendas curaremus, & quoniã hӕc vulgò apud causidicos agitantur, & plerunq; latinarum literarum rudibus inculcari solent, admonitos amici nos voluere ne sermonem, licèt Barbarum, & pingui Minerua exaratum, in aliam dicendi formam mutaremus: neqũis fortasse existimaret aliena esse, quӕ traduntur. Cupiebam equidẽ vel cultiori Phrasi illas expolire, vel saltem peregrinas dictiones, Romanis auribus inauditas, & solӕcon omne è medio tollere: sed ingratum est beneficium, quod inuitis confertur. repugnante domino in alienam segetem aliquando sarculum immittere non licet. qualiacunque hӕc à veteribus accepta, & nobis mandata sunt, in nostrorum ciuium vtilitatem, & obsequium hic explicamus. Tu suscipe diserte lector, quӕ placuerint, cӕtera verò crassiori calamo iam contentis omitte. Vale.

ORDINATIONES, CONSVETVDINES, & instituta facta, & edita per vniuersitatẽ terræ Noti, & consulta deliberatione, & solennitatibus obseruatis, & in his necessarijs pro bono statu, & melioratione terræ prædictæ, ad honorẽ Sacræ Regiæ Maiestatis, pro legibus, & tanquam leges de cætero obseruanda, derogatura legibus, constitutionibus, consuetudinibus, & statutis subscriptis ordinationibus forsan aduersantibus, oblata nuper eidem Maiestati Regia per Iacobum Furectum, & Paulum de Cholo ipsius vniuersitatis proprios Syndicos, & per eandem Maiestatem Regiam confirmata, videlicet.

VIRI, & vxoris bona omnia, & à quacunque parte perueniant, natis filijs confunduntur, & vnum corpus efficiuntur: & volentibus viro, & vxore diuidere cum filijs, tertia pars bonorum debetur patri, altera matri, et reliqua tertia filio, vel filijs. præmortuo verò patre, vel matre ab intestato, & filio, vel filijs viuentibus, cùm patre, vel matre superstite, tertia pars præmortui cedit filijs. Et sic ijdem filij debent habere duas partes tertias, vnam debitam sibi iure naturæ, alteram parentis præmortui. Si verò præmoriatur testatus, eius stabitur testamento, dummodo in eodem testamento de eorum tertia filios reco-

recognoſcat Si verò præmoriatur mater, poteſt de mobilibus tertiæ portionis ſuæ pro velle ſuo teſtari. ſtabilia verò, quomodocunque ea mortua fuerit, cedunt filijs natis ex ipſorum iugalium matrimonio. Et ſi non ſunt ei mobilia, poteſt ex ſtabilibus portionis ſuæ vſque ad medietatem valoris dictæ portionis ſuæ iuſta æſtimatum teſtari. Ita tamē, vt ſublatis lucris ſordidis, & male quæſitis de reſiduo tantùm præfatis patri, & matri, & filijs tertia debeatur. Propter quod ſi teſtator, idemq; maritus, & pater in vltimis ſuis, vel quolibet mortis periculo conſtitutus, vel conſtituendus in breui, putà ad bellum, vel aliò, vbi imminet mortis periculum, ſit iturus, iurauerit de ſordidis lucris, ſeu malè quæſitis habere ſe aliquid, illud, vel tantundē de vniuerſo patrimonio, tanquam reſtitutioni ſubiectum, ſicut, & aliàs conſtantis matrimonij debito deducatur per patrem, vel per quem ipſe conſtituerit, illis, à quibus ablatum fuerit, vel pijs locis reſignandum, & reſidua tantùm vxori, & filijs, ac patri per tertiam diuidantur, ne maritus, & pater in perpetuum lugeant, & vxor, ac filij irrationabiliter lucrifaciant aliena. Si verò non ſit in vltimis, nec in mortis periculo conſtitutus, vel in breui conſtituendus, ſed in ſenectute, vel ſenio: quo caſu non eſt veriſimile ipſum, vt ſuæ ſalutis immemorem deierare, & iurauit, vt prædictum eſt, lucra ſordida, & malè quæſita ſe habere, ita demum de medio ea, vt prædictum eſt, detrahat: ſic infra men-

sem ad summum praesenti pecunia restituat, sicut superius est expressum.

Vir praemortua vxore, vel vxor praemortuo marito ad secunda vota cum sua tertia potest transire liberè, & tertia illa cum bonis secundi viri, vel secundae vxoris, natis filijs vnum corpus efficiũtur; quo vel qua mortua ab intestato, omnia bona illa in tres partes diuiduntur, quorum tertia debetur viro, vel vxori superuiuenti, tertia filijs ipsius secundi matrimonij, & in reliqua tertia praemortui tam filij primi, quàm secundi matrimonij succedũt in capita. si verò testamentum condiderit, & de tertia filios primi matrimonij non recognouerit, tanquam ab intestato filij succedant.

Debita, quae apparuerint tempore primi matrimonij solui debent ex bonis filiorum primi matrimonij, & etiam ex tertia, cum qua pater, vel mater ad secunda vota transiuit. Debita verò facta tempore secundi matrimonij solui debent ex bonis secundi matrimonij, & praedicta tertia, quae cum ipsis filijs natis confusa est Debita verò, quae rationabiliter facta apparuerint medio tempore inter primum, & secundum matrimonium, ex communibus bonis solui debent.

Viro praemortuo, filijs non susceptis mulier superstes dotem, & dotarium suum consequi debet. Et si non fuerit dotarium constitutum, quòd dicta vxor habeat omnia vestimenta sibi facta à dicto viro suo, reliqua bona praemortui ab intestato pertinent

tinent ad proximiores, ex testamento tamen pertinent ad eos, quibus ipse in testamento reliquerit. Vxore præmortua extinguitur dotarium, & dos ad dotantem reuertitur, & restituitur in hunc modum: videlicet quòd omnia bona stabilia data in dotem restituãtur statim dissoluto dicto matrimonio: & de quantitate pecuniæ datæ in dotem tres partes debent restitui tantùm, infra sex menses à die dicti soluti matrimonij numerandos. Sed si vir voluerit eam sepelire proprijs sumptibus, habeat seu habere debeat de lecto sibi dato in dotem mataratiũ vnum, plumatium vnum, par vnum linteaminum, culcitram vnam de melioribus tota verò alia robba, arnesia, & iogalia data in dotem, quatenus extant, & apparent, restituantur statim dissoluto dicto matrimonio. Et si dicta vxor testari voluerit, potest quidem de mobilibus vsque ad quartam partem ipsorum tantùm: de stabilibus autem minimè, nec marito, nec extraneis.

Pater, & mater viuentes si voluerint filiam viro tradere, licet eis dare de bonis suis pro voluntate eorum. Si verò filiam emancipare voluerint, de tertia sua possint ei pro voluntate sua dare vltra partem ei contingentem de tertia, quam cum fratre vel cum fratribus habet communem. Quòd si omnes filios, vel filias efamiliauerint, & partem illi suam acceperint, inter patrem, & matrem reliqua bona diuidantur.

Patre mortuo, filijs minoribus cum matre rema-

pentibus, & in minori ætate præmortuis, vel ab intestato, bona eorum stabilia, si peruenerunt eis à matre, ad eandem reuertantur. Et si à patre peruenerint, ad proximiores patris. Præmortua matre, patre superstite, de mobilibus tertia pars, quæ eis suo iure prouenit ad patrem, vel matrem superstitem deuoluitur. Reliqua verò tertia quæ iure maternæ, vel paternæ successionis eis acquisita est, ad proximiores patris defuncti, vel matris reuertitur ita tamen, vt pater superstes habeat, & habere debeat vsumfructum omnium bonorum stabilium, donec vixerit. Vtroque verò parente præmortuo, et filijs eorum in minori ætate, vel ab intestato postea defunctis, bona eorum stabilia ad eandem partem reuertuntur, à qua peruenerunt. De mobilibus verò vna medietas ad proximiores patris reuertitur, altera ad proximiores matris deuoluitur. Vtroque parente viuente, filius etiam factus maior de bonis communibus portionem petere non potest.

Si mortua matre filius factus maior noluerit in familia patris manere, sed per se voluerit viuere, vel & filius non habeat, vnde possit viuere ex facultatibus, vel industria quòd pater teneatur aut præstare filio alimenta de tertia secundum facultates suas, aut tertiam à matre præmortua peruenientem. Et si pater conuolauerit ad secunda vota, cogatur pater præstare filio dictam tertiam partem à matre peruenientem, & non alimenta: reliquam tertiam eidem filio iure naturali debitam pater,

quoad vsumfructum sibi retinere potest, proprietate tamen filio reseruata patre verò præmortuo, & matre superstite, si filius in communi cum matre viuere noluerit, duas partes sibi contingentes ab ipsa matre petere potest.

Filio nato, & præmortuo, patre, & matre superstitibus, quilibet eorum in tertia eiusdem filij pro medietate succedit: & sic omnia bona inter eos sunt communia. Et in hoc casu viro defuncto, vxor superstes habet, & habere debeat dimidiam partem suam omnium dictorum bonorum.

Saluo iure cognatis, eiusdem viri legitimis successoribus. Si bona fuerint stabilia prouenientia ex parte dicti viri, retinendo ea, quanti fuerint iustè æstimata valere: & viceuersa saluo iure cognatis dictæ vxoris legitimis successoribus. Si bona fuerint stabilia prouenientia ex parte dictæ vxoris retinendo ea, quanti iusti fuerint æstimata valere: ita vt dicta vxor superstitibus sibi parentibus, vel fratribus, vel sororibus, aut filijs fratrum, & sororum, non possit testari de bonis dotalibus, seu de bonis, quæ sibi peruenerunt ex aliqua successione, nisi vsque ad quartam partem dictorum bonorum suorum: dictis verò personis non existentibus, seu aliqua ipsarum, quòd possit testari, & disponere, ac relinquere omnia bona sua ad libitum suum.

Viro, & vxore sine dote, & dotario, cùm vterque nil in bonis habeat, matrimonium contrahentibus, filijs non susceptis, vel susceptis, & præmortuis,

tuis; quæcunque acquisita sunt bona, communia sunt.

Minor post quartumdecimum annum testari potest, & decimo octauo anno completo maior efficiatur: & deinde res suas legitimè administrat.

Nullus contractus priuatus valet, aut tenet, nisi à duobus, vel pluribus idoneis testibus fuerit roboratus.

Facta, vel pacta à partibus in aliquo compromisso sub pœnæ appositione firmantur arbitrorum sententia in ciuili negotio.

Vir, & vxor susceptis filijs ex ipsorum iugaliũ matrimonio, & constante matrimonio possunt vendere, & alienare, & obligare quæcuuque bona voluerint tam mobilia, quàm stabilia, sine consensu dictorum filiorum suorum. Et quòd dicta venditio seu obligatio, seu alienatio facta per dictos iugales sine consensu dictorum filiorum, suorum sit rata, & firma, & nullo modo, ceu cassa, à dictis filijs eorum possit retractari.

Filia verò maritata, & dotata non admittitur ad successionem reliquorum bonorum parentum suorum: sed illa bona residua remaneant fratribus, & sororibus non maritatis in familia dictorum parentum suorum, vel alterius eorum remanentibus, nisi sit decepta in dote vltra dimidiam partem contingentem sibi tempore dotis constitutæ, in quo casu deceptionis computatis dotibus vnà cum fratribus, & sororibus, decepta mulier in parentis defun

cti

ei hæreditates succedat. Quòd si alij filij, vel filius præter dictam maritatam non superſit, ipsa, non obſtante quod maritata, & dotata fuerit, admittatur in hæreditate prædicta.

Si filius, vel filia absque consensu patris, vxorem vel virum duxerit, pater non cogatur ei dare partem bonorum suorum patrimonialium in vita sua.

Si filia, vel soror iuuenili calore deuiauerit, & luxuriata fuerit, si postea nupserit, vel innupta remanserit, pater, siue mater, vel etiam fratres, non cogantur inuiti dare eidem partem bonorum suorum.

Siquis, aut siqui filiorum liberati à patria poteſtate morte, vel emancipatione patris, aut remanētes orphani morte suæ matris, decesserint post mortem alterius parentis infra pupillarem ætatem, aut etiam maiores nullo condito testamento, fratres, & sorores ex eodem. tantùm matrimonio suſcepti veniant ad successionem eorum æqualiter cum altero parente superstite: alijs fratribus, & sororibus alterius matrimonij, et nepotibus à successione defuncti fratris exclusis.

Maritus, vel vxor, seu ambo similiter de rebus stabilibus sibi in dotem collatis, nihil possint vendere, vel alienare, nisi dotante vel eius hærede consentiente, aut praui necessitate vrgente, de qua curiæ manifestè constabit: liberis ex matrimonio ipsorum mariti, & vxoris non procreatis. Et in casu,

quo maritus sit prodigus, vel dilapidator, alienatio dictorum bonorum stabilium dotalium nullo modo fieri poßit.

Si maritus absque consensu vxoris suæ fideiusserit pro aliqua caussa tam in criminalibus, quàm in ciuilibus caussis, vxor non teneatur de rebus in dotem ipsi marito collatis, nec de parte eam contingente de bonis acquisitis per ipsam, & dictum virum suum, fideiussionem dicti mariti sui adimplere, liberis extantibus, vel non extantibus.

Viro ab intestato defuncto, vel eodem testato, & nihil de tutore disposito, vxor superstes filiorũ suorum pupillorum tutelam gerere poßit, si fuerit honesta, & diligens administratrix, quandiu ad secunda vota non transierit. Si verò ad secunda vota conuolauerit, tutor legitimus, si fuerit ad administrandum idoneus, authoritate curiæ ipsorum pupillorũ tutelam facto inuentario de bonis eorum gerere poßit: si autem tutor legitimus non fuerit, curia ex officio suo idoneum ipsis pupillis tutorem constituat: post mortem verò prædicti intra viginti dies fiant tria inuentaria de omnibus bonis filiorum, omnibus iuris solennitatibus obseruatis, quæ in talibus requiruntur: quorum vnum in Arciuo curiæ terræ eiusdem, aliud penes proximiorem, & digniorem consanguineum ipsorum pupillorum ex parte defuncti patris, & tertium penes ipsum tutorem, deponantur.

Imminente iusta neceßitate, pro qua res minorum

rum obligare debeant, vel alienari necessitatis caussa per curiam summariè cognita, possint res minorum cum authoritate tutoris, si habent, & si non habent, per curiam illis datum, cum decreto curiæ obligari, vel alienari, nunquam deinde retractādæ.

Data alicui possessione rei, de qua agitur, per cōtumaciam aduersarijs caussa rei seruandæ, siue ante contestatam, siue post contestatam litem; si infra dies 50. se in iudicio præsentauerit, data fideiussoria cautione iudicio sistendi, actore citato, & præsente, possessionem recuperat, perseuerante verò in contumatia vsque ad mēses quatuor inclusiuè, apud eum, cui data fuerit, remanebit.

Fratribus nolentibus in communi viuere, & volentibus paternam, vel maternam hæreditatem inter se diuidere, maiori natu datur diuisio celebranda, minori optio eligenda concedatur: & sic gradiatur vsq; ad maiorem.

Duabus de caussis cōtractus gabellæ rescinditur, pro venditione & data dote; præterquam rei dominus, qui locauerit, expressè se obligauerit, non posse pro altero istorum Gabellam infringere, vel impedire, vel renuntiata consuetudine terræ Noti. quia omnis contractus ex conuentione legem accipit.

Domus locata auferri non potest ante constitutum tempus locationis, præterquam si Dominus, qui locat, in ipsa domo habitare voluerit, vel res suas ex necessitate in ea reponere. Si verò conductor ante finitum tempus conductionis ad propriam

domum postea per eum acquisitam ad habitandum migrare voluerit, seu ad alias terras domicilium mutare potest, exceptis tabernis, & domibus locatis, in quibus impositum sit vinum, dummodo transacti temporis soluat conductionis pretium: vltra non teneatur. Locator verò domus pro pensione sibi non soluta potest per se res in ea existentes auferre, & retinere, donec pensio sibi soluatur, vsque ad octo dies: quibus elapsis, si conductor requisitus non soluerit, locator possit ipsas res vendere sine licentia curiæ, debita tamen subhastatione præmissa.

Siquis pecuniam mutuauerit ad taxillos, vel ad quemlibet ludum perditionis, ei actio denegatur, & mutuatam pecuniam amittit. Si autem promiserit, aut conuenerit, seu iurauerit aliquid dare, is, cui promissum est actionem non habet, & datum non repetitur: cùm in turpi caussa melior sit conditio possidentis.

Venditiones, seu distractiones rerum maiorum præsentium, vel absentium citatorum, vel contumacium, pro debitis, pro quibus appareant publica instrumenta, per curiam baiuli, & iudicum terræ eiusdem cum caussæ cognitione factæ permanebũt.

De solutionibus autem mercedis, vel solidorum custodum vinearum, vinitorum, agricolarum, tabernariorum, vel quoruncunque seruitiorum, & operariorum conductorum ad annum, vel ad mensem, fidei, & iuramento Domini stabitur vsque ad

tarenos auri septem, & medium; deinde vsque ad tarenos auri quindecim, illis, & vni testi creditur, nisi lenis, aut reprobabilis sit persona: nisi etiam secus probetur per operarium, vel locatum: ita tamen, vt si quæstio fuerit inter dominum, seu conductorem, & personam locantem operam, & serui tia suæ personæ, de solidis, seu mercede, quòd ipsa persona, quæ locauerit operas suas, non possit petere, nisi solidos, seu mercedem vnius mensis: & dicto domino credatur de solutione mercedis, vt prædictum est. Et si fortè persona locata infra tempus locationis à seruitijs conductionis indimissa recesserit, teneatur restituere domino totam mercedem, quam ab eodem receperat, dummodo ex malitia, vel proteruitate Domini hoc non eueniat. Si verò dominus infra dictum tempus locationis sine iusta caussa dimiserit operarium, vel seruitorem, ipse dominus totum conuentum pretium mercedis ei soluere teneatur.

Et consequenter prouisum est, & statutum per vniuersitatem prædictam, quod nulla mulier, quæ publicè prostituat se, vel faciat quæstum sui in cõuicinio honesto stare, nec in domo conducta, nec in domo propria habitare possit. Quia sæpe contingit, quòd vna ouis morbida totũ gregem contaminat. Sic & mulieres prauæ & inhonestæ nituntur pudicitiam suis maculis sordidare.

Vt habitatores dictæ terræ fertilitatibus gaudeant, & exultent, statutum, & Ordinatum est, vt qua-

quarumcunque mercium ad prædictam terram adductarum; & venditarum pro vsu domorum eorũ habeant portionem pro eodem pretio tantùm, quo emptæ priùs extiterunt, intra duos, vel tres dies, postquam fuerint venditæ, præstito tamen per illum, qui huiusmodi sortem voluerit, quòd merces ipsas ad opus proprium, vt suprà, voluerit, debito Sacramento.

Acatapani terræ ipsius, eo quòd retroactis temporibus diuersas exactiones & extorsiones irrogare solebant, recipiant à quolibet apothecario, seu ricatterio, & buccherio terræ ipsius pro mercatura rotulorum, & aliorum ponderum, & mensurarum per totum annum tarenum vnum. Et si fortè aliquo casu infra dictum annum dicti rotuli, & pondera, seu mensuræ amitterentur, prædicti acatapani rotulos ipsos, & ipsa pondera, seu mensuras nullo pretio propterea eis soluto mercari facere teneantur. Item de quolibet quartucio tabernarij grana decem: & pro quartucio Burgensis gr. 5. item pro iustatura tumini gr. 5. etiam pro quartucio molendini gr. 5.

A patronis verò & mercatoribus vendentibus seu vendi facientibus carnes ad rotulum seu hædos, seu agnos viuos, nullum ius prædicti acatapani exigere, seu recipere teneantur.

Item si aliquis exter pisces, aut oleum vendendum ad præfatam terram apportauerit, acatapani ipsi pro iure ponderum, seu mensurarum ad rationẽ

de rotulo vno tantùm pro quolibet cantario ipsorũ piscium, seu olei, possint exigere, & habere, à cantarij verò dimidio infrà, nihil.

Item, quòd nullus de terra prædicta possit, & valeat exercere choreas noctis tempore cum cereis sub pœna vnciæ vnius vniuersitati ipsius terræ soluendæ ab eo, qui contrà fecerit, ob contemptum consuetudinis præfatæ.

Vt omninò singulis turbationis materia superflua auferatur. statutum, & ordinatum est, quòd in quocunque funere, & visitu cuiuscunque defuncti, seu defunctæ fiat visitatio per propinquos, vel alios homines terræ ipsius à die scilicet obitus defuncti, vel defunctæ vsque per totum diem sequentem, & non vltra. Nam contrà huiusmodi ordinationem qui temerariè venire præsumpserit, soluat pro pœna augustales duos, cuius medietas soluatur iustitiario, vel Capitaneo dictæ terræ Noti, & altera medietas commodis dictæ vniuersitatis acquiratur, dummodo pœna ipsius denuntietur per Iuratos terræ ipsius.

Si animalia alicuius inueniantur inferentia, seu facientia damnum in sato seu seminato, segetibus, vineis, viridarijs seu hortis alicuius alterius, quòd Dominus, seu patronus dicti seminati, segetum, vinearum, viridariorum seu hortorum, quibus dictũ damnum illatum, seu factum fuit, qui inuenerit dicta animalia inferentia, seu facientia dictum damnum, possit authoritate propria capere ipsa animalia

lia caussa emendationis, & satisfactionis sibi facien dæ de dicto damno, & quòd de inuentione dictorū animalium inuentorum inferentium seu facientium ipsum damnum, credatur, & stetur fidei, & iuramē to ipsius Domini, seu patroni, cui illatum, seu factū fuerit dictum damnum, sed si dicta animalia nō fuerint inuenta inferentia facientia dictum damnum à dicto domino seu patrono, cui factum est ipsum dānum. sed ab alio, quod eo casu est necesse, quòd inuētio ipsorum animalium inferentium dictum damnū probetur saltem per vnum testem fide dignum, non obstante, quòd testis ipse sit filius, vel famulus patientis damnum prædictum. Aestimatio verò dicti damni debet fieri per personas de communi partiū voluntate ad hoc electas, & constitutas: ita tamen, vt si dominus dictorum animalium inferentium dictum damnum requisitus ad eligendum, & constituendum dictas personas, per quas fieri debeat æstimatio dicti damni, noluerit seu distulerit hoc facere: quòd dictus dominus seu patronus, cui factum est dictum damnum, possit licitè eligere, & constituere personas, per quas fiat, seu fieri debeat dicta æstimatio ipsius damni.

Quòd si aliquis inuenerit in seminato, seu segete, vinea, & viridario, seu horto suo, vel patris, vel domini sui animalia alicuius inferentia, seu facientia sibi damnum, in dictis rebus, licitè, & authoritate propria potest capere dicta animalia inuenta facere dictum damnum, & ea potest deducere ad terram

ram Notum ad palum: vbi debet retinere, seu retineri facere eadem animalia in hunc modum, videlicet: si dicta persona, quæ duxerit dicta animalia applicuerit cum ipsis animalibus in ipsam terram ante Meridiem, debet ea retinere seu retineri facere in dicto loco vsque ad occasum solis. Et si ante occasum solis dominus ipsorum animaliū, seu alius pro eo comparuerit, qui velit ei præstare idoneam fideiussoriam cautionem de emendando, seu reficiendo ei dictum damnum, tenetur restituere dicta animalia domino eorum, vel alij pro eo præstanti dictam fideiussoriam cautionem. Si verò vsque ad occasum solis non comparuerit aliquis, qui fideiubeat post occasum solis dicti diei tenetur assignare, seu assignari facere dicta animalia baiulo dictæ terræ Noti. Sed si dicta animalia adducta applicuerint ad dictam terram post meridiem, dicta persona, quæ duxerit ipsa, debet dicta animalia retinere, seu retineri facere ad palum vsque ad occasum solis, & deinde debet ipsa animalia adducere, & retinere tota nocte in aliquo loco tuto ad expensas domini ipsorum animalium. Et postea die sequenti debet ipsa animalia reducere ad prædictum palum, & ibi retinere, seu retineri facere vsque ad occasum Solis ipsius diei sequentis. Et si non comparuerit dominus ipsorum animalium, seu aliquis pro eo, qui præstet dictam fideiussoriam cautionem de emendando, seu reficiendo damno, post occasum Solis dicti diei sequentis debet assignare, seu assignari facere dicta ani-

animalia prædicto baiulo ipsius terræ Noti.

Si animalia alicuius intrauerint vineas, viridaria, hortos & alia loca clausa alicuius alterius: & dicta vineæ, viridaria, horti, & alia loca sint ita clausa, vt boues habentes compedes, seu pasturam in pedibus anterioribus non possint intrare ipsa loca, dominus ipsorum animalium intrantium dicta loca soluat, & soluere debeat pro ipsis animalibus pro pœna seu nomine pœnæ in hunc modum; videlicet: pro quolibet animali grosso, s. boue, iuuenco, equo asino, & similibus tarenos auri duos: & etiã pro quolibet animali minuto s. oue, capra, porco, et similibus grana auri duo. Cuius pœnæ vna medietas applicetur, seu acquiratur commodis vniuersitatis terræ Noti, & altera medietas domino dictarum possessionum, seu locorum: ita tamen si dominus dictorum locorum, quæ dicta animalia intrauerint, fecerit accusationem, et huiusmodi petierit dictam pœnam solui.

Cum effrænatus aditus intrandi loca clausa alterius sine licentia domini seu custodis ipsorum, præstet materiam inferendi in ipsis locis damnũ, quandocunque res sibi existentes furtiuè subtrahũtur: statutum est, quòd nullus intret, seu intrare audeat vineas, viridaria, hortos, & qualibet alia loca clausa alterius sine licentia, conscientia, & voluntate domini seu custodis dictarum vinearum, viridariorum, hortorum, & aliorum locorum clausorum. Et si aliquis contra fecerit, & dominus dictarum pos-

sessionum, seu locorum accusauerit eum de dicto facto commisso soluat pro pœna seu nomine pœnæ augustale vnum: cuius vna medietas commodis vniuersitatis terræ Noti acquiratur, & altera medietas domino possessionum, seu locorum prædictorum: Et nihilominus ipse transgressor huius statuti teneatur emendare, & reficere damnum per eum illatū dictis rebus.

Quia sub prætextu cessionis iurium, & actionū simulationes, fraudes, vexationes, & actiones indebitæ fiunt, & sæpius committuntur deliberatè, & consultò: prouisum est, ac præsenti ordinatione in perpetuum valitura constitutum, quòd nullus posset sub quocunque titulo seu specie contractus cedere, dare, transferre, seu mandare iura, & actiones sibi competentes aduersus qualēcunque personam nomine, & occasione alicuius debiti seu cuiuscunque rei, in qua, seu pro qua diceret se habere aliquod ius priuilegiatæ, seu potenti personæ seu cuilibet alij. Et si contra præsentem ordinationem, seu in fraudem ordinationis huius, aliqua cessio iuriū, & actionum facta fuerit, siquidem dicta cessio facta fuit simulata, seu priuilegiatæ, seu potenti personæ, quòd ipsa cessio sit nulla, & nullius roboris, vel valoris. Si verò dicta cessio facta sit alij personæ, & prætendatur vera esse, quòd persona, cui ipsa cessio iurium, & actionum facta sit, vigore dictæ cessionis non possit aliud petere, nec agere seu quæstionem mouere, nec ipsis actionibus cessis experi-

vi, nisi post elapsum annum à die dictæ cessionis antea numerando: excepto, si cessio iurium, & actionum facta fuerit fideiussori, & soluenti debita creditori pro debitore principali, quo casu dicta cessio facta fideiussori, vt præfertur, statim sit efficax ad agendum, & petendum dictum debitum.

Cum enxenia, seu strena, quæ indistinctè à quocunque solebant fieri: seu dari sponsæ post dispensationem, & concubitum sequenti die in lecto iacenti, seu existenti, videatur esse extra honestatem, statutum est, quòd nullus faciat, det, seu offerat dictæ sponsæ dicto die sequenti post disponsationem, & cõcubitum in lecto existenti, seu alij pro parte sua aliqua enxenia, seu strenum, præter parentes, fratres, & sorores sponsi, vel sponsæ: quos honestè hoc facere posse videtur. Et si contra præsentem ordinationem factum fuerit, tam donans, quàm recipiens dicta enxenia seu strenam, scilicet quilibet eorũ, vel ipsorum soluat pro pœna, vel nomine pœnæ augustales duos: Cuius pœnæ medietas vna applicetur, seu acquiratur commodis vniuersitatis dictæ terræ Noti, & altera medietas soluatur Iustitiario regionis, seu Capitaneo ipsius terræ.

Satis dignum, & rationabile censetur, quòd quisque secundum laborem commodum sequatur. Nam spes commodi pro labore inducit quemlibet in agẽdis negotijs solicitum, & attentum. Et si pro labore commodum non speratur, aut ex hoc negligens efficitur, aut quæritur materia extorquendi. igitur

quia

quia officium Iuratorum est onerosum, et in multis ratione officij sustinet grauamina, & labores, prouisum, & per præsentem ordinationem statutum est, quòd quilibet Iuratorum terræ Noti pro labore officij sui totius anni habeat, & habere debeat vncias auri duas p. g. de pecunia, seu rebus vniuersitatis dictæ terræ Noti.

Res stabiles sitæ in dicta terra Noto, seu eius territorio, si vendantur alicui ab aliquo pro certo pretio pecuniæ inter eos conuento, consanguinei vsq; ad tertium gradum, secundum gradus prærogatiuam venditoris eiusdem rei stabilis possunt ipsum stabile venditum petere, exigere, & ad se reuocare à quocunque emptore ipsius rei stabilis eodẽ pretio pecuniæ, quo venditum fuerit, intra annum, numerando à die venditionis ipsius, elapso verò anno, à recuperatione dicti stabilis excludantur. Et si fortè consanguineus, vel vicinus dicti stabilis venditi extra dictam terram Netum, & eius territorium habitauerit, intra annos duos numerandos, vt suprà possit recuperare, & habere stabile venditũ supradictum: quibus duobus annis elapsis minimè audiatur. Et si extra Siciliam aliquo casu habitauerit, intra annos quatuor possit recuperare, vt suprà, stabile antedictum: quibus elapsis, à recuperatione dicti stabilis excludatur, omnino. Et si fortè dictus consanguineus, vel vicinus fuerint requisiti per dictum emptorem, quòd habeant tantùm dies quindecim ad recuperandum stabile prædictum.

Ius protomiseos competit tam iure, vel ratione sanguinis, quàm contiguitatis. loci, & hominis. pro tomisis ex consanguinitate usque ad tertium gradū inclusiuè à fratribus, seu sororibus numerandum præfertur ei, qui habet ex contiguitate loci. Et qui accepit per protomisium rem venditam stabilem, debet restituere iustas expensas.

Ecclesia, monasteria, Comites, seu Barones ius protomiseos in dicta terra Noto, & eius territorio habentes non habeant in bonis burgensaticis vendi tis, vicinis, seu contiguis ecclesiis, Monasterijs, Comitibus, seu Baronibus supradictis.

Antiquum vsum in iure protomiseos in terra Noto obseruatum, per quem pecunia oblata in iudicio pro re stabili vendita, recuperanda, alicui fideli personæ in depositum præstabatur, vsq; ad finē cuiusuis temporis, in melius corrigentes statuimus, & ordiuamus, vt ipsa pecunia oblata in iudicio per octo dies tantùm fide dignæ personæ per iudices de ponatur. post lapsum verò prædictorum octo dierum ipsa pecunia domino restituatur: & in quæstio ne suis terminis procedatur.

Si viro pro vxore tempore contracti matrimonij inter eos antè, vel post, fundus, hortus, solū, seu casalenum aliquod datum fuerit in dotem: & in ip so fundo, horto, solo, seu Casaleno constructum, seu ædificatum fuerit aliquod ædificium, seu fuerit plantatum, vel insertum per virum, seu maritum prædictum durante matrimonio prædicto: & vxor

præ-

præmortua fuerit, filijs ex eodem matrimonio non susceptis, totum ædificium factum in ipsis horto, seu Casaleno, cum introitu, & cortili spectante ad ipsũ ædificium: & totum, quod plantatum, vel insertum fuerit in dicto fundo communiter diuidatur inter dictum virum, & proximiores venientes ad successionem dictæ vxoris præmortuæ. Et si fortè in rebus prædictis in partem fuerit aliquod ædificium, plantatum, vel insertum, quòd in ea parte, in qua fuerit ædificatum, plantatum, vel insertum, similiter diuisio fiat, vt superius est expressum: in reliquis verò partibus, in quibus nihil extitit ædificatum, plantatum, vel insertum, dicti proximiores dictæ vxoris præmortuæ succedunt, tanquam in rebus dotalibus stabilibus, eis per virum restitutis.

Antiquum vsum prædictæ terræ, per quem litigantes in Curia Ciuili terræ Noti duplicatam tricesimam exoluebant, videlicet pro qualibet vncia tarenos duos, in melius corrigendo, statutum, & ordinatum est, quòd iuxta quod obseruatur in Magna Regia Curia litigantes in curia ciuili supradicta iusta tricesimam, videlicet tarenum vnum pro qualibet vncia soluere teneantur baiulo, & iudicibus ipsius terræ, scilicet qualibet pars ipsorum litigantium grana decem.

Quia aquæductus, qui fiunt in vijs publicis, deuastant, & impediunt communem aditum, seu transitum, & ex his imminet, & infertur periculum transeuntibus per ipsas vias, statutum, & ordina-

tum est,quod quilibet, qui facit aquaductum in aliqua via publica sita,seu existente in territorio dictæ terræ Noti, caussa ducendi aquas ad irrigandũ vineas,uiridaria,seminata.seu aliquas terras,quòd teneatur,& debeat in ipsa via publica, vbi est,siue sit aquæductus, facere seu fieri facere pontem tali modo,quòd transeuntes sine impedimẽto dicti aquæductus, & absque aliquo præiudicio, seu periculo possint bene, & decenter transire per ipsas vias: sub pœna augustalium duorum, cuius pœnæ medietas soluatur Iustitiario Regionis, seu Capitaneo dictæ terræ Noti, & altera medietas applicetur cõmodis vniuersitatis eiusdem terræ.

Vt de salarijs debitis notarijs publicis pro confectione instrumentorum tam contractuum, quàm testamentorum, dubitatio aliqua minimè oriatur, statutum est,& ordinatum est:quòd si quantitas pecuniæ, seu rei, de qua factus est dictus contractus, seu testamentum, sit à quinque vncijs infrà, quòd notarius pro confectione dicti instrumenti,habeat, & habere debeat tarenum vnum auri. Si verò dicta quantitas fuerit ab vncijs auri quinque vsque ad vncias auri 20. notarius habeat, & habere debeat pro confectione dicti instrumenti, seu testamẽti tarenos auri duos. Et si dicta quantitas fuerit ab vncijs viginti vsque ad vncias auri quinquaginta, notarius habeat, & habere debeat.si est instrumentum contractus,tarenos auri tres:& si sit testamentum, tarenos auri quatuor: si fuerit à dicta quantitate

titate vnciarum auri 50. vltra quòd notarius habeat, & habere debeat pro salario confectionis instrumenti, seu testamenti, ad rationem granorum duorum pro qualibet vncia.

Præterea prouisum est per prædictam vniuersitatem, & salubriter ordinatum, quod nullus possit, seu debeat immittere taxum, seu herbas venenosas in fluminibus existentibus in territorio terræ Noti. Siquis autem contra præsentem ordinationem temerarius venire præsumpserit, in pœnam augustalium auri duorum se nouerit incursurum quæ pœna acquiratur Iustitiario Regionis, seu Capitaneo dictæ terræ Noti, & vniuersitati prædictæ.

Pro euitandis periculis, quæ sæpius accidere solent habitatoribus prædictæ terræ, pro salubriori statu terræ ipsius, statutum, & ordinatum est, quòd nullus possit, nec debeat ludere, ad rundulum seu rollum intra media dictæ terræ, sub pœna augustalium duorum, Iustitiario Vallis Noti, & vniuersitati prædictæ ab eo, qui contra fecerit, exoluenda. Amen.

Datum Messanæ anno Dominicæ Incarnationis 1341. die secundo Iunij, nona Inditionis.

FINIS.

W

VINCENTIVS LITTARA

ILLVSTRI VIRO CAROLO IAVANTI Buxelli, Saccollini, Ciarramij, & Planæ fœudorum domino

S. P. D.



NNATAM *esse omnibus animis religiosam pietatẽ, quæ & Deum præ cæteris colere, & Diuos Dei gloriam adeptos venerari doceret, summi Philosophi, & Theologi tradidere. Hæc autem inter alia tuarum virtutum genera ita in te firmiter insedit, vt euidentissimos pij cordis produxerit effectus. Namque (vt alia omittam)*

in excolenda Beati Conradi nostri patroni solennitate ita officiosum te semper præstitisti, ita pro eius celebritate adhuc laboras, vt non modò popularem auram, (quod vulgare quidem est, licet, & debitum virtuti officium) verùm etiam efficacissimum Diuorum patrocinium tibi comparaueris: quod cùm in fortunarum prosperitate, tum in summi boni fruitione tibi pro futurum speramus. Inter cætera autem, quæ ad recolendam Diui Conradi memoriam pertinent, hæc tua fuit cura; vt tota eius historia breuissimo compendio latinis literis mandaretur: vt cùm opus esset, citra stomachum ab omnibus, præsertim à concionatoribus percurreretur. Nã cùm multa edita fuerint hac de re opuscula, nullum tamen adhuc extat, quod, & sermonis elegantia, & styli breuitate, tanto viro dignum haberetur. Quamobrẽ equidẽ iã diu tibi inseruire cu-

 pidus,

DIVI CONRADI HISTORIA.



ONRADVS, miles Placentinus, genere nobilis ob venatum, cuius mira capiebatur voluptate, terrenis opibus expoliatus ad cœlestes comparandas omnem operam adhibuit. Accidit enim, vt magno rerũ apparatu feras insecutus, quòd in Syluas, & saltus vepribus obsitos incolumes confugerent, aliquando voti compos effici non posset. Idigitur loci flãmis aperiendum iussit. At ignis modicis initijs in tantum ventorum impetu creuit incendium, vt latiùs, quàm vt extingui ad libitum valeret, omnia combusserit. Latenter, & pauidè reditur in vrbem: quò non longè post crematorum nemorum nuntius sequitur. Ii, quibus illatum fuerat damnũ, à Ciuitatis Gubernatore Satellites exorant, per quos repertum incendij authorem in Vincula conijcerent: nec quenquam, præter infimæ plebis homunculum, fortè obuium habent: increpant, trepidantem arripiunt, & ei iam metu omutescenti iniectæ flammæ crimen impingunt. Ad quæstionem verò ductus scelus, cuius erat innocens, vel ex certa nequitia, patrasse confitetur. Nec mora patibu-

lo damnatus trahebatur ad supplicium. At Deus, qui iustis non deest, Conradi conscientiam momordit: qui, audito infelicis hominis euentu, illum à carnificum manu audacter liberat, domi seruat, lictoresque dimittit, qui dicerent culpam alieno casu commissam insontis nece nõ expiandam. Quod, & ab Imperatoris Vicario accersitus vltro professus est asserens non dolo, sed venationis desiderio adductum in tale, nec opinatum malum incidisse. adeoq; dicendo appositè sapienter se habuit, vt, quod imprudentiæ peccasset, condonarent, quòd autem illato damno se satisfacturum polliceretur, admiserint. Quod & toti populo, cui suis virtutibus erat gratissimus, fuit iucundum. Tum aperit vxori fœminæ tanto viro dignæ consilium: quæ vel suam illi dotẽ ad resarciendam hominum pauperiem libenter obtulit. postero igitur die omnibus æquè persoluit.

Nec multò post considerata mundi vanitate, totum se Dei obsequio (quod singulare est Christianorum munus) mancipandum statuit. exorat igitur à coniuge, vt conceptam pietatem exequi permittetur. Illa perinde, ac vir, pia eiusdem consensu monialium instituta professa, opibusque tum læsis, tum monasterio distributis, virum forti animo dimittit. Qui noctu patriam, & necessarios destituẽs solus, & tenuis egreditur: in quendamque locum receptus est, vbi pij viri diuino cultui seorsum à mundi pompa vacabant. Ibi habitu Religiosorum, qui diui Francisci tertiarij dicuntur, indutus san-

ctissi-

ctissimis vitæ præceptis imbuitur. loco verò ob patriæ propinquitatem dimisso, Romam contendit, sacras ædes visitat: inde profectus lygustica naui Panormum appulit: ibi de Siculorum probitate cognoscens Netinæ Vallis populos, Netinosq́ue Ciues cæteris, & pietate, & charitate præstare audiuit. Hæc ergo concessit: sed in ipso statim, agri Netini limite, Palatiolum prætergressus contraria verbis opera experitur. nam viæ labore fessus in vicino ouili refectum iri sperabat. Sed rustica, & immanis pastorum impietas molestè viri aduentū tulit. Quamobrem iniuriæ cedens à loco diuertitur: Et quamuis canes illi irritauerint, illæsus tamen Netum vsque peruenit. In Diui Martini Xenodochio hospitatus eleemosinas mendicabat: donec Ioannis Menei opera, seorsum à turba quiescere cupiens Gulielmo Buccherio commendatur. Fuerat hic quidem robustis Viribus, quemadmodum postea mira sanctitate, & Friderico Siculorum Regi. cuius equo aper insultabat, opem laturus à truculenta, fera rostro percussus est, vt lumbis, & penè exanimis corruerit. A Rege demum benignè omnia pollicente, domunculas in superiori Netinæ vrbis ingressu, in quas peregrinos libenter excepit, obtinuit. Hic Conradus aliquot annis, omnibus iucundus, licèt inflatis quibusdam odiosus, commoratur. Namque Petrus Gulielmi filius, qui hoc vnum pietatis habebat, quòd Claudū parentem aleret, & viseret, ægre ferebat illum

dulcissimo Conradi alloquio captum apud hospitem diuersitare.

Cùm verò hominum frequentia ab orationibus auocaretur, à familiaribus Nicolao Vassallo, & Bartolo Longo contendit, vt si quam eremum procul ab vrbe scirent, præmonstrarent. Signant illi quosdam colles, quibus nunc à Diuo Conrado nomen superest, quamuis illius mentis ignari secum mussitarent. Quamobrem à Gulielmo ægre dimissus rectà ad locum nullo præeunte se confert. Vnde vix cibi inopia discedebat. Ibi inedia, & orationibus, alysque monasticæ vitæ perfectionibus exercebatur: humi cubabat, & nunc solo pane, nunc solis herbis vitam alebat. Statuit quandoque sexta quaque feria ad Crucifixum adorandum, cuius celeberrima est apud Netinos imago, in vrbem accedere. Quod vbi primò fecisset, ab Antonio Sessa prandio excipitur. Sed colloquendo Antonius acerbissimo Laterum dolore corripitur: eius tamen, pij conuiuæ precibus, acerbitate leuatur. Tum solis nucibus contentus cætera respuit, & hinc digressus apud Malfitaniam locum olim sanctoribus frequentem amicum reperit, cuius infans herniæ morbo laborabat. Hunc rogatus visit, & Crucis signo sanat: & incognito adhuc miraculo Diui Nicolai templum ingreditur, & mox ad suũ domicilium reuertitur: quamuis sanati pueri pater gratias acturus inclamaret.

Nec alia defuere, quibus viri sanctitas magis,

atque

atque magis elucesceret. Misit ad illum Bartolus duo œnophora. at seruus ebriosus alterum sibi abscondit, altero Conradum donat. qui fraudis non inscius hominem corripit, & futuri admonet periculi. nam anguis vasculi orificio inuolutus iuuenem morsurus esset, nisi præmonitus virga repelleret. fuit hic tantæ rei testis, & nuntius. Eundem visurus sereno cœlo quidam exierat: inter eundem tamen crudelis exorta est tempestas, vt nubilus aer nimbis, & fulminibus fremeret. Confugit in antrum, & curis fessus obdormijt. interim reuelatum est Conrado virum illum cœlesti sagitta periturum. Vnde exorata à Deo venia, locum adijt, adhuc sopitum excitat, facti admonet, & incolumem domum dimittit. Laurentius Cardus filio mandauit, vt legumina quædam Beato Conrado deferret, quem inuidus humani generis hostis conspicatus ducem se puero ad virum Dei pollicetur: sed, vt sui moris est, super editam, & præcipitem rupem inductum deserit; & euanescit. At, dum cœleste implorat auxilium, affuit Dei admonitu Conradus, qui adolescentulum ex altera profundissimæ Vallis parte Consolatus mox ex horrendo illo præcipitio eductum sanctis præceptis onerat.

Crebras, & venereas diaboli tentationes corporis maceratione, assiduisque precibus fortiter vicit. Crebras etiam gulæ blanditias, & lautas epulas edendi allectamenta admirabiliter superauit.

Nam-

Namque suillæ carnis, pinguis gallinæ, & placentæ caseatæ desiderio ardentissimè tentatus adeò hostiles pugnas elusit, vt munuscula ab amicis impetrata non priùs attingeret, quàm diu derelicta, & vermibus scatentia ipsemet sensus abhorreret: vnde væsana illa esuries facillimè abigeretur. Cùmque præcoces fici maturescerent, suarum manuum fructus iam degustare incessanter appetitur. quare appetitum domiturus, deposita tunica, tandiu nudos artus vepribus, & rubetis volutat, donec fluente sanguine edendi æstus deferuesceret. Quod vbi dæmon opinione maius vidit, non dissimulanter opprobrijs, & conuicijs beatum virum lacessebat. ille verò deuictis certaminibus gratias Deo victoriæ authori agebat. Interim Petrus Buccherius Gulielmi filius frigoris morbo corripitur, & à Patre ad Conradum missus pristinæ sanitati restituitur. Petijt aliquando à Nicolao Vassallo veteri amico casei formam, quam filio, qui primus à Beato Conrado in Baptismate susceptus Conradi nomine inter Netinos appellabatur, ferendam iussit: quamuis vxor reluctata integram mittendam negaret. Vbi verò Conradus Conradum reperit, sanctus, ille senex dimidiatum caseum, quòd inuita matre daretur, remisit, quamuis puer abnegaret: quicquid enim iurgij inter parentes ortum fuerat, se præsciisse ostendit. In plurimis quidem tum gratiam curationum, tum propheticum spiritum habuisse patuit. Rogatus ab amico ad pran-

dium

dium negat oportere, tum quòd terrenas dapes non expeteret, tum quòd pisces huius rei gratia emptos felis subripuisset. quod cùm ille non crederet, regressus iratæ vxoris iurgijs excipitur, & rem haud secus, quàm audierat, veram esse expertus est.

Delata est ad Syracusanum antistitem Beati Cōradi fama, sanctum vitæ genus, & miraculorum celebritas. ille rei certiùs cognoscendæ cupidus Netum venit, Eremum adit, antrum omni supellectili vacuum admiratur, mox Eremitam obuium habet, qui Episcopi pedibus prouolutus benedictionem suscipit: & ab eodem cœna inuitatus in cellam precucurrit, & quatuor calidas, candidasque placentas, rem omnibus admirabilem attulit. Denique viri sanctimoniam, & facundiam Episcopus agnoscens lætus Syracusis inclytas hominis virtutes prædicauit. Iam totam Siciliam tanti Eremitæ sanctitas peruaserat. quod cùm quidam pessimi viri irriderent, hominem decipiendum statuunt scilicet vt piscibus inuitato prohibitæ die veneris carnes apponerentur. Adest rei patrandæ commoditas: cùm Conradus de more Crucifixi templum viseret, præsto sunt omnes, & simulato vultu pietatem ostentantes rogant apud se prandere. Cognita Beatus fraude verbis annuit. tum suculos assatos in mensam exhibent, nec aliud ipsi manducant. Dumque vel hominis improbitatem culpant, vel simplicitatem derident, impia consilia produnt, ab

quòd

quòd tantus vir sexta feria suillam comedisset. negat Eremita, & pisces, quibus fuerat inuitatus, fatetur accepisse. In cuius rei testimonium spinas, sentes, & squammas ex industria sub mappa absconditas detegit & homines arguit impudentiæ. In antrum suum regressus obuij agricolæ manus osculatur, & petentem orationem Dominicam, & salutationem angelicam crebrò recitandam docet.

Post hæc à scelestissimis quibusdam venatoribus probris afficitur, & virgis percutitur. Sed à Deo misericordiam precatus singulos panes angelorum ministerio præparatos suis percussoribus hilari animo distribuit. qui rei nouitatem admirati tacito gressu, ne cui illata iniuria pateret, profugere: sed tanti flagitij fama præuenerat. res magistratui defertur: scelerisque authoribus in vincula coniectis, interrogatus Conradus euentum fatetur; malefactores autem, quòd & habitu, & animo videret immutatos, non agnosse testatur. de eisdem tamen à temporali iustitia absolutus, æterna pœnas desumpsit miserrimè enim periere. Idem Syracusas ad præsulem profectus iuxta palatium plurimis auiculis circundatur, quę quodammodo Beati viri aduentum gratulabantur. Ea re à ministris delata, descendit Antistes & honorificè Conradum excepit, qui Pontifici, siquas habebat, culpas confessus non longè post in Eremum regreditur. tunc sub Hyblam maceriei ouilis innisus similiter ab auibus salutatur. quod viator quispiam

videns

videns viri nomen, & instituti genus voluit intelligere. quæ libentissimè percepta suis Hyblensibus nuntiauit: apud quos magna etiam erat nominis celebritas proinde ac apud Netinos. Quorum tantus erat conuentus, siquando Eremita in vrbem, & potissimùm in ædem Diui Petri Apostoli ad suum confessarium diuertebat, vt declinanda multitudinis frequentia clanculum accedere oportuerit.

Accidit, vt excisum in antro saxum, vbi Crucifixi imagini locum in aræ modum accommodabat, curans educendum accolas accerseret, qui operam suam præstituri saxi molem suis viribus grandiorem expauebant. At Conradus Deo fretus homines cobortatur; & ex vno ipse latere suscepit, ex alijs adiutores collocat, tum facillimè lapidem re leuiorem eduxere. Confestim egressis ex antro, vbi nihil paulò ante reliquerant, tot dulcissimos, & adhuc fumantes panes attulit, quot singulis satis essent: qui vtroque miraculo commoti Domino benedicebant. Horum quidam se Conrado, & socium, & discipulum obtulit: ille proposita rei difficultate hominis animum perquirebat: quem vbi firmum sensit, Eremitico habitu voluit indutum, & biennio strenuum, & obsequentem expertus est. At humanæ salutis inimicus innato liuore excandescens adeò iuuenis fomitem incendit, vt se ad repugnandum imbecillem, & ineptum fateretur. Desperata perseuerantia aperit Conrado consilium,

filium, quòd relicta Eremo ducendæ vxoris desiderio æstuaret. quamuis autem vir Sanctus crebris, & grauibus admonitionibus ab obscœna illa cogitatione absterreret, tamen à sententia ignauũ hominem deducere non potuit. Spe tandem destitutus dimittitur, & tria illi pericula imminentia prædicuntur: quòd anguis calceo latentis morsu appetendus, quòd dimicans, quòd auersa hasta prolapsus euidentissimæ mortis discrimina subiturus esset. Surdior ille freto redit ad vomitum, & infelicissimo exitu vitam clausisse dicitur.

Inuaserat Siciliam, alioqui frugum parentem, acerbissima annonæ caritas, adeò vt miseri mortales inedia confecti mortis speciem præ oculis ostentarent. Confugiunt nonnulli ad Diuum Conradum, à quo benignissimè excepti cælesti pane satiantur tum alij, atque alij eiusdem refectionis cursum tenent, & singuli suis panibus diuina gratia creatis explentur. Cognouerat vates Deo dilectus quendam adolescentem mortali peccato detineri, & certissimum vitæ periculum subiturum: adit parentem, in area laborantem, eique mandat, vt filium Sacramentali confessione à certa labe purgandum admoneret. Quod vbi fecit, in paternam aream regressus, quanto periculo detineretur, agnouit: nam exorta repentina tempestate, & proximè fulmine è cœlo lapso, penè exanimis corruit. Rei præscius Conradus pendentibus etiamnum imbribus affuit, amicos consolatur, & à lethalibus cri-

minibus absterret. Agnoscunt illi Sancti Eremitæ precibus vitam iuueni seruatam, & acceptam Deo referunt.

Instabat autem exoptata dies, qua post tot deuicta certamina ad cœlestis gloriæ palmam euocaretur. diuino oraculo temporis admonitus Netum ad suum confessarium se confert, Eucharistiæ Sacramento reficitur, & pium illum Sacerdotem summis precibus rogat, vt perendie in Eremum se reciperet. Quod cùm fecisset, detegit Conradus imminentem sui transitus horam, prædicit fore, vt et Netini, & Hyblæi de cadaueris possessione armis contenderent, nec quiquam mali inferendum. seque velle in Sancti Nicolai sepeliri. Continere nō potuit lacrymas vir ille Conradi amantissimus, eoque tanti viri amissionem plorante, febri correptus coram Crucifixo nuda genua flectit, & se, suosque Netinos Domino commendat: tum mirabili splendore locum illustrante, animam Deo reddidit. Fulgore perterritus Sacerdos Conradum respicit adhuc genuflexo stantem, adeò vt viuum crederet: cùm tamen mortuum vidit, grauiori luctu cruciatur. Voluit, & hoc Deus pijs populis mirabiliter innotescere. Nam Campanæ & Neti, & Hyblæ, nullo pulsante, adeò omnes, & fortiter sonuere, vt homines rei nouitatem anxiè scrutarentur. Gulielmi domicilium petunt, quem à Sancto viuendi genere omnibus charum, mortuum credebant. ab eodē tamen admonentur, & de Beato Cō-

rado cognoscerent. Continuò armati illuc aduolāt, & adhuc summisso poplite, ac si oraret, inuentum, asportandum facillimè credunt: nec tamen loco dimouere possunt. Affuit Sancti viri confessarius, & ab eodem in arcam deponitur, quò honestius deferretur. Ecce tamen Hyblenses aduentant, & æquo audaciores è Netinorum manu gratissimam illam sarcinam auferre conantur. Conferunt vtrique manus, pugnatur acerrimè: nec tamen (quæ Conradi fuit protectio) aut occisus, aut vulneratus est quispiam imò proiecta tela suis in pharetris recondita inuenerunt Quod vbi miraculum vident, nuntiant Netinij, inter quos sacrum illud depositum semper residebat, certi iam diuinæ voluntatis, vt quaterni ex vtrisque populis, & primi Hyblenses arcam humo tollerent: quod si possent, alij cederent: sin minus, ipsi opus experirentur. Accipiunt Hyblenses conditionem, nec tamē arcam illam humo sustollere valuere. succedunt Netini, quibus Charum pōdus adeò leue visum est, vt alacres, nulloque impediente Netum contenderent. In vrbem ingressis placebat quibusdam, vt in ædibus Diuæ Mariæ à Castro, quibus nunc à Crucifixo est cognomen, deponeretur: at dum illuc inferre student, omnem operam perdunt. Quapropter Conradi confessarius Sancti voluntatem aperuit, vt in Diui Nicolai, quæ maior, vel tunc temporis, erat ecclesia, efferretur. eoque à duobus leuissimè perlatum est, cæteris honorificentissimè funus deducentibus. tantaque fuit po

puli

puli pietas, & frequentia, beatique gratia, vt pluri mi infirmi, hernioſi, cæci, ſurdi, claudi, muti, & alijs morborum generibus oppreſſi ſanitati reſtituerentur. Quæ omnia idoneis teſtibus, & per fideliſſimos commiſſarios literis mandanda in poſterorum memoriam quatuor uiri curarunt. Demum Leo Decimus anno ſui Pontificatus tertio conceſſit Netinis Beati Conradi reliquias poſſe coli, adorari, & per vrbem circunduci. vnde an. ſal. 1516. prima Conradi ſolennitas incepta eſt. plurima eius diei miracula Ioannes Humana Netinus, epiſcopus Scuterenſis, qui Apoſtolicæ ſedis reſcripto interfuit, collegit. Conceſſit etiam Paulus Quartus Diui Conradi feſtum vel extra Ciuitatem Netinam, & Syracuſanam diœceſim, vt aliorum beatorum, quos nondum in ſanctorum numerum Eccleſia retulerit, poſſe celebrari, & venerari. Datum eſt diploma Romæ an. ſal. 1544. 3. cal. Nouemb.

Fuit Conradus ſtatura procerus, forma elegantiſſimus, aſpectu magnanimus, ſermone grauis, & facundus. naturæ ceſſit 11. cal. Mar. anno à Chriſti natali 1351. Eius corpus in argentea arca reconditum apud Netinos in ornatiſsimo tumulo, & ſacello conſeruatur: vbi cotidie diuinæ virtutis ſigna experimur.

FINIS.



Numero	Linea	Erratum	Correctum.
11	9	*super inscri.*	*inscriptionibus.*
30	7	*habeat*	*abeat.*
66	17	*Apuliæ*	*Apulia.*
67	3	*lapide*	*lapidem.*
69	16	*omneis*	*omnes.*
74	15	*hora*	*oram.*
80	14	*ab*	*ob.*
81	25	*istam*	*ista.*
88	27	*præstitam*	*prætitam.*
100	15	*clecti*	*electis*
102	3	*istis*	*isti.*
133	7	*vnicas*	*vncias.*
137	27	*praui*	*graui.*
33	25	*astringerentur*	*astricti*
34	12	*vrbi*	*vrbs.*
41	11	*Netũ, & Cic.*	*Netinos Neetũ & Cicerone Neetinos.*
50	15	*deffidia*	*diffidia.*
214	20	*absolutus*	*absolutis*

Series Chartarum.

† ABCDEFGHIKLMNO.

Omnes Quaterniones.

PANORMI,

Apud Io. Antonium de Franciſcis.

M. D. XCIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

